# IANI GRVTERI PERICVLA.

id est,

ELEGIARVM LIBRI IV.

MANIVM GVLIELMEIANORVM. LIB. I.

EPIGRAMMATVM LIBELLVS.

HARMOSYNES ſiue OCELLORVM LIBER PRIMVS.



HEIDELBERGÆ,

CIƆ. IƆ. XXCVII.

# IANI GRVTERI
# PERICVLA.

id eſt,

ELEGIARVM LIBRI IV.
MANIVM GVLIELMIANORVM. LIB. I.
EPIGRAMMATVM LIBELLVS.
HARMOSYNES *ſive* OCELLORVM
LIBER PRIMVS.

HEIDELBERGÆ,

cIↄ. Iↄ. XXCVII.

# INDEX EORVM AD QVOS ET DE QVIBVS HISCE periculis.

*ABrahamo Ortelio.*
*Adamo Cammio.*
*Adamo Eſingæ.*
*Adolpho Mekercho.*
*Æmilio Roſendalio.*
*Alexandro Grapheo.*
*Andreæ Dudithio.*
*Annæ Pallantiæ.*
*Barnabæ Briſſonio.*
*Bonauenturæ VVlcanio.*
*Carolo Cluſio.*
*Dauidi Chytræo.*
*Dominico Baudio.*
*Erneſto ab Harixma de Sloten.*
*Franciſco Cammio.*
*Franciſci Duareni Manib.*
*Friderico Sylburgio.*
*Gabrieli Rolandio.*
*Gaſpari Schurmanno.*
*Georgio Buchanano.*
*Germano Valenti Pimpontio.*
*Gerardo Bontio.*
*Gregorio Berſmanno.*
*Henrico Brucæo.*
*Henrico Scotano.*
*Homero ab Harixma de Sloten.*
*Hugoni Donello.*

Iacobo Bongarſio Bodiano.
Iacobo Cuiacio.
Iacobo Monauio.
Iacobo Roſendalio.
Iacobo Suſio.
Iano Aurato.
Iano Caſtrio.
Iano Douſæ Nordovici.
Iano Douſæ. I. F.
Iani Gulielmij Manibus.
Iano Lernutio
Ioachimo Tonaglo.
Ioanni Bodino.
Ioanni Caſelio.
Ioanni Eſychio.
Ioſepho Scaligero.
Ioſiæ Mercero.
Iuſto Lipſio.
Ludouico Guicciardino.
Marcelli Ceteri Manib.
Matthæo VVeſenbecio.
Melloni Brunſemæ.
Nathani Chytræo.
Petreio Tiaræ.
Petro Andreæ Matthiolo.
Petro Memmio.
Petro Pauoni.
Petri Victorij Manibus.
Remberto Dodonæo.
Rumoldo Hogebeſio.

NOBILIBVS

NOBILIBVS. ET. MAGNIFICIS.
CONSVLIBVS.
AC.
SENATORIBVS.
P. P.
VRBIS. LVBECAE.
L. M. Q.
PERICVLA. HAEC. SVA.
DAT. DICAT.
IANVS. GRVTERVS.

# IANI GRVTERI
## ELEGIARVM
## *LIBER PRIMVS.*

### AD IOSEPHVM SCALIGERVM.
### ELEGIA I.

*PRiſca probent alij, Titanis gratulor almum*
*Nunc ego deniq; me cernere poſſe iubar.*
*Non quia iã oppoſito micat Vrſa polo altera,*
*Inuiſam Macetis Indiã adire viris. (faſq;*
*Nec quia iam imbellis globuli necat Hectoras ictus:*
*Ad Maneis viuis nec quia aperta via.*
*Sed quoniam tangi te humanis lumine claro*
*Cæleſtis patitur, Scaliger, ordo Deûm.*
*O ter-digna dies, quam candidus vnio ſignet:*
*Thuréq; cui fiat perpetuùm atq; mero.*
*Quæ deſcendentem primùm de Amathuſidos axe,*
*Te terræ intuita eſt ponere in orbe pedem.*
*Tunc ſibi, tunc verè placuit Natura. ſuperbi*
*Protinus eſt operis captáq; amore ſui.*
*Tunc cœli inſolitos prompſere volumina Cantus:*
*Fauit & aura ſalo blandior atq; ſolo.*
*Tunc Charitum zonis cultiſſima triga ſolutis,*
*Cúmq; Cupidinibus ingenioſa Saïs,*
*Te ſuprà narunt, pendentes aëre pennis:*
*Nobile & vmbrarunt florigeno imbre caput.*
*Tunc quadrata trias Doctarum ſponte Sororum,*
*Præſtitem Hyantæi te ſtatuere iugi.*

*Submiſitq; magiſtratus faſces ſui Apollo.*
*Satq; ſecundum habuit poſſe tenere locum.*
*Tunc æuo quicquid Pulcrum & laudabile ab omni*
*Seruarat centum clauibus arca Iouis,*
*In tua ſe actutùm inſinuauit corda, clueres*
*Humani vt generis Delitium atq; Deûm.*
*Iámq; clues certè, tabulatáq; Olympica quicquid*
*Numinum habent, plaudunt oreq́; req́; tibi.*
*Quorum ità flagranti vultu numerò omniũ amorem:*
*Quorum ita voce in te mentem oculoſq; trahis.*
*Ex animo vt doleant ſupereſſe nihil ſibi, deinceps*
*Quo tibi adhuc ornent linguæ animiq; decus.*
*Quod poſſunt, faciunt. Manibus contingere gaudent.*
*Vndiq; Progeniem te, venerata, ſuam.*
*Haudq; tua obſeruant aliter veſtigia, quàm quos*
*Lingua catenatos Herculis aure tenet.*
*At quotquot ficti cor habent meliore metallo,*
*Deplerûntq; hauſtu feruido Equina labra:*
*Celſa tuo inſtituunt de nomine Templa, & ad Aras*
*Solennes proni te in ſua vota cient.*
*Solemq; indigitant, Tenebras qui diſicere Orbis*
*Seclaq; noſtra noua luce beare venis.*
*Luce noua, nubis quam nunquam occurſus opacet.*
*Quæq; neget furuæ cedere Noctis equo.*
*Parte alia, Enceladi ac Cæi germana, quadrigis*
*Vecta coronatis per iuga, perq; mare,*
*Ære altum clangente tuos Cœlo æquat honores,*
*Audit & hos, cano quæ ſtupet ora gelu:*
*Quæq; grauis ſemper Phœbi ſubiecta calori,*
*Quæq; afflata Noto proximiore, tepet.*
*Dúmq; ſonat, Populorum aſſenſu examina cuncta*
*Dant fremitum: & ſeu nox ſiue ſit orta dies.*
*Nil*



*Nil niſi Scaligeri vim nominis ore frequentant.*
*Ac meritò ſummi Numinis inſtar habent.*
*Tete etiam ipſe colo, ſtudio nimis imq; potente*
*Differor in laudeis, Scaliger, alme, tuas.*
*Sic quoq;, vbi poſuit ſenium omne rogo Vnigena Ales,*
*Remigióq; nouo iam per inane volat:*
*Non illum artificè tantum Philomela ſalutat:*
*Vel ſi alia eſt oris nobilioris auis.*
*Verùm etiam Fringilla, etiam cum Regulo Hirundo,*
*Ipſum quo poſſunt vocis honore crepant.*
*Quanquam vt ego taceã, taceátq; hominũ ſonor omnis,*
*Verſaq; in Harpocratem ſit Superûm ampla cohors:*
*Ipſæ te Valles, nemoroſáq; luſtra ferarum,*
*Ipſaq; te è viuo quæ lapide Vnda ſalit.*
*Ipſi te Montes, ipſæ te lampades æthræ,*
*Ipſi te Flores, ipſa loquatur humus.*
*Arborum & Æolio pulſatæ flamine frondes,*
*Nil niſi Scaligerum ſibilo ouante tonent.*
*Omnéq; ſponte genus Volucrum de te omnia paßim*
*Doctius & melius ſæpe diúq; canat,*
*Quàm Turma illa olim, quæ miſſa è Carcere Pœno,*
*Hannonem voluit mox de Homine eſſe Deum.*
*Scaliger ergo igitur ſalue Optime Maxime, ſalue*
*O ſacer Aſtricolûm Terrigenûmque metus.*

---

## AD IACOBVM SVSIVM.

### ELEGIA II.

*SI quem Antiqua Fides, & vitæ puriter actæ*
*Coram Cœlitibus, Terrigeniſq;, tenor.*
*Siq; quem honorata clarat Sapientia fama,*
*Et Melicûm quantum eſt vſpiam ab arte Deûm.*

Diſpeream ille niſi tu ſis, Suſi, vnice & vne.
O ſanctum! ô penitus Mercuriale caput!
Tu facis vt nondum Saturnia ſecula peſſum
Ad Phlegethonteas iſſe putentur aquas.
Tu facis vt videatur adhuc grex ille ſuperſtes
Numinum, iniqua hominũ vita quẽ abegit humo:
Tunc quum Pandoræ pixis funeſta ſuperbæ,
Iäpeti ſobolis eſt reſerata manu.
Fortunata nimis mea Belgica, primitus omni
Quæ dedit Europæ tale videre decus.
Nam veluti Tethidos quum linquit brachia Phœbus
Diſiectis fugiunt Sidera cuncta comis:
Sic ei Erechtææ nunc cedunt pallidè Athenæ.
Sic & ei cedit vrbs generoſa Remi.
Téq; Orbi mallent Vnum peperiſſe, ſua olim
Quàm decora illa ſagæ, quàm decora illa togæ.
Quicquid enim precioſum atq; admirabile forti
Naturæ dudum clauſerat Arca ſera:
Id, Suſi, omne tibi infudit, voluitq; adyto almo
Perpetuùm ſedem cordis habere tui.
Hincq; tibi quoq; quod videt & prior inuidet ætas,
Viuida nullius cognitio artis abeſt.
Sed rude ouans omnis Doctrinæ, omnisq; Leporis,
Mnemoſynes fulcis nomen in arce tuum.
Quod quanquam cupias cunctos, Iäcobe, latere:
Non tamen vllum aliqua parte, Iäcobe, latet.
Flamma vt enim indocilis longũ nocturna tegi, efflat
Ærata ſparſim quam è ſpecula alta Pharos:
Sic, quum ſint in te totius lumina Mundi
Tempore coniecta omni, omnibus inq; locis.
Vndiq; prorumpunt miracla illa enthea, & ad ſe
Cunctorum ora tuentum obſtupefacta trahunt:
Qualiter



Qualiter Herculeũ lapidem aſtrum Erymãthidos algens,
Aut Clytien Titan, aut Adamanta Chalybs.
His quoq; raptus ego. tunc quum à te audire coactus
Quæ mihi lætitiam verba perennè ferent.
Non quoniam ingenij nimium Monumenta mei æquè
Laudabant, Vatis nomina dando mihi.
Nam quid opus Iunonis auem ſequi, habere neceſſe
Si quoq; confuſas deinde rubore genas?
Sed quia nemo in me audebit diſtringere dentes,
In totum mea te non reprobante mele.
Quicquid enim ipſus amas, meritò quoque amatur ab (omni,
Virtutis cui, non eſt alienus amor.
Quãquam, quémnam animi vſq; adeò reperire canini,
Innocuo vt mordax eſſe repentè velit?
Certè, ſi vllius per luſum fama iocúmq;
Læſa mihi. pugnas ſiq; aliquando dedi.
Pérq; dolum ſi quicquam alienum ſuſtuli in armum.
Tegminaq; aptaui, non mea, fortè cuti:
Vos agite, ite omnes in me quicunq; probi oris
Eſtis, & Aonio tingitis amne labra.
Sin verò efferor in præconia vera virorum
Quos ſub vtroq; ſitum ſole ſolum omne colit.
Núncq; grauem Patriæ ſingultato ore ruinam
Defleo, & exilij multa mei alta mala.
Nuncq; verecundâ auſteros audaciâ amores:
Nunc & Amicorum fata inopina, gemo:
Eſte bonæ mihi, Pegaſides, pia Numina, Nymphæ:
Ac date tandem illo ponere monte pedem,
Semper vbi ſerpit cryſtallo lympha liquente,
Et Phœbi lauros ambitioſa rigat.
Hâc quò animâ exutus vili, induar altera, vt anguis
Qui noua, pro laceris, tegmina, vere capit.

Nilq́ canens mortale, at veſtro affine ſonori,
Auriculas indam quercubus atq́ iugis.
O ità Calliopea velis pulcra! ô ità Rhæſi
Cara velis genitrix, cum genitrice Lini.

---

## AD IVSTVM LIPSIVM.

### ELEGIA III.

SI mea Fors non me Nutrice fugaret ab vrbe,
Inq́ aliam ex alia truderet exulem humo.
Haud ego ſpinoſis curarum merſus in vndis,
Hinc luctu ferrer auius, inde ſitu.
Sed fors purgatas quæ poſſent ire per aureis
Blanda Phileteo concinerem ore mele.
Aut tua ſectarer, Lipſi, veſtigia, quà itur
Ad Themidos ſolas, ad Sophiæq́ domos.
Nunc, vigor ingenij cecidit mihi, flos veluti agri,
Tactus vbi currus prætereunte rota.
Nec ſpes eſt, vt me ſpectandum gemmea cunctis
Æthera per liquidum Fama vehat populis.
Sed ſimul ac vitæ ſpatium decurrero, eodem
Claudentur tumulo membraq́ lausq́ mea.
Proh Superi! ergo ſuis pedibus viroſa Gruteri
Texet barbaricum in nomine Aranea opus?
At non ſic mihi pollicita olim mater Amorum,
Haurirem lucis quum ordia prima puer.
Sed fore ſpondebat, qui carmine Belgico amœnas
Elicerem ad Scaldim monte Helicone Deas.
Carmine, quale ætas nulla vnquam audiuit Auorum,
Terq́ in quo laueret ipſe Cupido manus.
Sed fore ſpondebat, qui non ſolitum aptus honorem
Concirem Doctorum omnium amicitias.
Cuiq́



Cuiq́, renidentis Templo in potiore Monetæ
Ex flauo Clypeum poneret ære Saïs.
Non in quo depicta mea graphicè eſſet imago,
Aut aliquid, faceret quod meminiſſe mei.
Aureus aſt lymbus foret, aſt foret aureus umbo,
Vllum nec locum ibi lineæ haberet apex.
Nempe vt, vbi aſpicerent vacuam ſuâ ab effigie orbem,
Mnemoſynæ auguſtum queîs penetrale patet:
Ex Diuarum aliqua propè ſtante, expiſcarentur
Cur ferret, reliquis diſſimilem, huncce tholus.
Illaq́, compoſito nitidè ſermone, locuta
Multa diúq́ noua de genij arte mei:
Nunc iret vegetis per ſcripta operoſa Senectæ,
Nuncq́ per à primis geſta mihi vnguiculis.
Hà Cytherea, tua en temerant hæc pacta Sorores
Queîs genitrix Nox eſt, queîs Erebusque pater.
Ac me per gentes cogunt errare ſuperbas,
E tribus vlla vbi me non ſinet eſſe diu.
Sed citò ſurripiar lactentis flore iuuentæ
Ceu Roſa, quæ benè vix è calyce omnis hiat.
Sin minimè extremã accelerabunt funeris horam.
Annus at adiectus vnus & alter erit.
Non eſt quod poſſim Aonidum ceſſare choreis,
Aut fœtum Clario numine habere iecur:
Verùm inter rupeis, inter nemora hiſpida curram
Quà ſupereſt preſſo ſemita nulla pede.
Verba querárq́ ob quæ perſæpe cauernicola Echo
Ingemat, in lacrimas triſtis eatq́ Silex.
Nuncius aſt tibi vbi ad vacuas, Lipſi, accidet aureis,
Hinc me in communem qui aiet abiſſe locum:
Nunquid diſcruciere animi, luctuq́ potente
Ex imo pia ſuſpiria ventre trahes?

O vtinam hocq; operæpretium capiam mei amoris,
Qui mihi ſic auget inq; diem inq; diem:
Flamma velut virideis quæ ſenſim paſcitur ornos,
Moxq; excelſa citis ignibus aſtra petit.
Atq; illum ô quoq; fas habeam ſperare fauorem,
Vt monumen mihi de marmore inane dices.
Húcq; illúcq; peregrinâ regione vaganteis
Carminibus Maneis in patria arua voces.
Fasq; habeam ſperare itidem, vt mea nomina libris
Ipſe aliquò cupias inſeruiſſe tuis.
Fruſtrà hàc tum extincto mihi ſe ardua Mauſolea
Æquiparent, fruſtrà Pyramidúmq; minæ.
Nam dias quæcunq; effers in luminis oras,
Inuidiæ aut Æui nulla ruina premet.
Tantum etenim antiſtant reliquis Scriptoribus, arte
Seu ſit opus, ſeu ſit lucidiore ſtylo:
Stellarum radiis quantum Phaëtontia lampas,
Quum fera Nemæi terga leonis habet.
Saluete ô præclara Volumina. quæ Dea Pallas
Virgineo fouit Terpſichoréq; ſinu.
Quæq; trias Charitum generoſo flore beati
Nectaris, ac dio rore Iuuenta rigant.
Vos facitis, nobis ne Barbaria imperet, at ſe
Eumenidum obſcuris abdat in attegiis.
Vos facitis, latices ne vltrà ſitiamus Equinos,
Vos facitis bifida vt ſint propè vbiq; iuga.
Saluete ô præclara Volumina. iam hora propinquat
Ad cœli qua vos templa vehet Zephyrus:
Inter & Aſtrorum clarè fulgebitis igneis,
Heîc Ariadneæ ſtant vbi ſerta comæ.
Omnibus vt populis antiqua reperta Quiritum,
Factáq; noteſcant vſq; mage atq; mage.
Perpe-



Perpetuáq; aliorum Scriptis nocte ſepultis:
Lipſij pro cunctis fama loquatur opus.

## AD IANVM LERNVTIVM.

### ELEGIA IV.

IAm quater eſt demeſſa ſeges ſicelicibus, ex quo
Lugdunâ viſus vltimùm in vrbe mihi.
Nec tamen interea Sol vnquam lampada luxit,
Inſtabili ve obiit Luna polum facie:
Quin te, Lernuti, ſuſpirarim arduè, & horis
Omnibus optarim iunctior eſſe tibi.
Vocem iamq; foret mellitam haurire loquentis,
Téq; tueri oculis, téq; manu tagere:
Afflarer Sortis niſi ab aura atroce, Deiq;
Matrimi raberet Flandrico in orbe furor.
Queis itâ deiicior de ſpe, vix vt liquido optem,
In Patria liceat qua ſimul eſſe, diem.
Inſuper atque habito curarum examine, cœli
Mente ſerenata Numinibus facere.
Vſq; adeò exilia vndiq; & excidia vltima ſpirant
Non placandorum Regum inimicitiæ.
Hà cum Spumigena princeps genitrice Cupido:
Túq; Diſertarum Virginum amabilitas:
Nunquam erit ergò dies, cycni pernice volatu
Scandemus bifidi qua auia templa iugi?
Quáq;, Cypri in luco, ſub fornice ſaxeo amœnæ,
Nos tacitâ excipient nocte ſinu Charites?
Dictabúntq; melos, dextram exarmare Tonantis
Quale queat, triſteisq; exhilarare Deos?
Qualéq; pulcer Ado audiuit, quum de puero illum
Fecit Heræ Veneris culcita ſtrata virum?

Nunc, in inhumanis cruciabilitatibus, ore
 Nil niſi de mœſto verba fluunt miſera.
Illéq; & hic oculus lacrimas dum ſtillat amarè,
 Vellitur exuccis cæſaries digitis.
Cernimus &, primo iuuenalis flore iuuentæ,
 Corpora ſqualenti noſtra perire ſitu:
Qualiter à morſu pereunt rubiginis enſes
 Angulo in informi qui latuere diu.
Hà, Lernuti! ergo ſemper tua Araneæ iniquis
 Caßibus hinc atq; hinc neruia ſordida erit?
Neruia Melpomenes ter pollice menſa, labróq;
 Merſa ter, alatus quod pede fecit equus?
Carmina nec fundet, quæ fundere inante ſolebat,
 Quum malè eras primùm captus Hyellæ oculis?
O mihi dum vſq; foret ſic auſcultare canentem,
 Quàm cupiam quoque te trans Acherunta ſequi?
Nec me trigemini quaterent Canis ora timore,
 Nec torti tetrarum Eumenidum colubri.
Nam vulgare nihil, Lernuti, promis: at ipſum
 Orphea quod poßit, quódq; decere Linum.
Siq; vnquam delenifica eloquia vlla fugaſſent
 Bellonæ atrocis turpe ſodalitium.
Iam nuſquam exultans reſonet taratantara Enyo:
 Accenſæve rotet taxi Eris vlla faceis.
Sed, rupta, cum Marte Pavor Terrorq;, quadriga
 Quærere eant Cocyti inferiora vada.
Paxq; comas obnupta olea pallente, relinquat
 Sidera, nobiſcum perpes & eſſe velit.
Quæ nunc, ah, noſtris dum iugiter exulat oris,
 Quid superest mihi, quàm nocte dieq; queri?
Cui tua non ſolùm coram haud fas ora videre,
 Sed cui iam intentat Perſephonea necem:

Quò



Quò noſtræ vix-dum ſurgentia ſemina famæ
 Vnam habitent cum omni corpore ſandapilam.
Quam volitet circum nigris Obliuio pennis,
 Cúmque Sopore Stryges, cúmque Vlulis Tenebræ.
At tu, Lernuti, æra coruſca imitare, & in ipſis
 Bellorum viuas ignibus incolumis.
Nec tantùm incolumis, verùm, Æterni Alitis inſtar,
 Vſque mage atque mage mox iuueneſcere ames.

---

AD REMBERTVM DODONAEVM.

ELEGIA V.

CHloris adeſt, Remberte, tui viſura decorem
 Horti: age verte fores cardine, Chloris adeſt.
Nec ſola. Horarum comitante ſed agmine, ſecta
 Claudit ei Veneris officioſa latus.
Omnibus & ſterilis manus eſt, criniſque ſinúſque,
 Dum grauida ire opibus cuique libido tuis.
Quid mirare? nihil mirum, penetrauit ad arua
 Chloridos ille tui nam Viridarij honos.
Sicq; Dearum animos mouit, vt, lætitiam omnes
 Faſſæ fronte, darent hunc ſubito ore ſonum:
Vos ô telluris monumenta valete beatæ.
 Iam tandem Tempe nos meliora manent.
Tempe, quæ retinent quot habet Natura colores,
 Et ſtupet ad quorum terráque & æthra decus.
Quis ſi veſtra lubet componere munera, Lunæ
 Sidera ſeſe auſint æquiparare faci.
Ridetis? Zephyrus loca tam bona vidit, & vltrò
 Iam demùm cedat coniugis Hortus, ait.
Cedat. & huic vtinam ſedem ſtatuiſſe perennè
 Ipſa velit. certè nam heîc mea ſemper erit.

*Et locus ille, Marite, placet nobis quoque. fias,*
*Tu tantùm ignotæ Duxq́; Comesq́; viæ.*
*Progredere ô, mulcénſq́; tepenti flamine cælum*
*Nulla face arreptum vota morentur iter.*
*Iamq́; valete Arabum, quondam felicia luſtra.*
*Florum inopes etiam hinc nos iuuat ire procul.*
*Suauiùs inuiſæ variabunt tempora ſertæ:*
*Suauius haud ſolitus naſum animabit odor.*
*Tu verò, nobis mox, Dodonæe, future*
*Hoſpes, honorato ſparge virore ſolum.*
*Puluilloscole. Xyſtapoli. topiaria denſa:*
*Aduentu vt noſtro cuncta decora magis.*
*Nam, ne cordolium fiat tibi, obiſſe labores,*
*Diſcutiant dabimus præmia cordolium:*
*Pæmia Cœlitibus, Ioue iudice, digna, retortos*
*Quæque oculos faciant Momus vt ipſe tegat.*
*Incipite, & iam nunc vos illi applaudere Valles.*
*Enthea deq́; altis ſibilet aura iugis.*
*Quaq́; mouet greſſum, ſurgant Violæq́; Roſæq́;,*
*Tollat & hinc Myrthus, laurus & inde caput.*
*Voſq́; greges volucrum mulcete hilariſſimo euntem*
*Accentu, & nouus, en, dicite, Diuus adeſt.*
*Incipite & iam nunc, Dryades, pictæq́; Napææ:*
*Inſtituiſſe choros, inſtituiſſe dapes,*
*Ad quas Nympharum cunctis bona turma Kalendis*
*Conuolet, agricolis conſociata Deis.*
*Solenneis intérq́; dapes, intérq́; choreas,*
*Rembertum ſemper voxq́;, chelyſq́; ſonet.*
*Hà prior auſe Senex, modico concludere gyro*
*Terra penu quicquid de locupleti vomit.*
*Primus & auſe Chao mixtas auellere plantas,*
*Herbarumq́; vetus reſtituiſſe genus.*

*Macte*



*Macte animis. & ſi quid adhuc Iouis aula, vel Orci,*
*Pulcrum habet, hoc Hortis inſerito omne tuis.*
*Nec Pyrrhæ patrui pœnâ moueare. decori*
*Conſulit ille hominum: conſulis ipſe Deûm.*

---

## AD ADAMVM ESINGAM.

### ELEGIA VI.

*I Nunc & quauis tibi amicos arte parato*
*Antiquis verè moribus atque fide.*
*Si mox illa graui damno ſtat amicitia, & cor*
*Exedit indignè mœſtitia atque metu.*
*Dulce fuit, fateor, tecum mihi viuere, Eſinga, &*
*Cernere fur animis gnauiter obſequiis.*
*At ſimul eſt menti libitum, vento ire per æquor,*
*Quolibet, ac ſociis tollere te ex oculis:*
*Cara prius cura in triſte helleborum mutatur,*
*Votáq́; ſunt, notum non te habuiſſe mihi.*
*Ergo nec omniſcij te tangit lingua Donelli?*
*Nec puta præclari Lipſiadæ ambroſia?*
*Ergo nec effœti te tangit Suada Tiaræ?*
*Nec cognatorum cara ſodalitia?*
*O vtinam algentis duplicentur flabra Aquilonis,*
*Effractoq́; lutet Phryx iter omne cado.*
*Nec dextra vlla ſonum det Auis, ſed ſcæui Vlula orũ*
*Auriculam infeſtis impleat ominibus.*
*Sic certè fugiens, diſces quid lædere ſit tot*
*Pectora, Adame, tuo pendula ab arbitrio.*
*Sin animo omninò eſt ſententia fixa, tui omneis,*
*Heu, deſiderio nos cruciare malè:*
*Me potius migrare iube tecum, optime. vbique*
*Te ſequar, vt fidi corporis vmbra, comes.*

Te ſequar, vſque vel ad Libyæ ſitientis arenas
Damnatámve Thylen ſidere hyperboreo.
Nec maris obſiſtet rabies mihi, nec via montis
Inuia, ſiue æſtus, ſeu furat horridè hyemps:
Quin ſalui regnis iiſdem excipiamur, Auerni
Vel pariter cinefacti ingrediamur aquas.
Vt ſic, quos toties vnà morienſq; orienſq;
Sol vidit, iunctim tollat & ipſe Charon.
Sed quid? Parcarum, video, hoc vetat alta poteſtas:
Fruſtráque oppugnet vis hominum vlla Deos.
Ergo vale ô ter dulce caput, greſſúque ſecundo:
Quò tua te virtus forſque ſerena vocat.
Sed cape, queis tua ſectari veſtigia ſolùm
Non vetor, en ſocios córque animúmque meum.
His ego tecum, & dùm emeritis petit Oceani ima
Phœbus equis, & dum viſitat Indiam, ero.
Neque unquam nequeas memor eſſe mei, volucri æſtro
Obliti tacitè me illatebrabo animæ.
Interim, at exucco macreſcam ego corpore, languens
Curâ animi ac cordis non magis atque tui.
Nec mihi non venient noctúque diúque dolores:
Nec mihi erit Bacchus, nec mihi grata Ceres.
Solùm ablati animi cordiſque vice, huc veniet Spes,
Quâ dilabenteis fulciar articulos.
Donec laſſatus terráſque vrbéſque videre
Auguſtis auibus reſtituare mihi:
Vſque tuæ intentus, me propter, Eſinga, ſaluti.
Quod ſtipes Meleagro, id mihi enim ipſe eluis.





## AD LVDOVICVM GVICCIARDINVM. ELEGIA VII.

QVàm bene poſteritas de nobis te meritum aiet,
Guicciardine potens Mercurij & Veneris!
Quòd Marte effuſo paſſim craſſante lupato
Belgicam vt impoſitis opprimeret pedibus:
Cominùs atroci ſis ire Deo auſus, & eius
Vnguibus, afflictam duriter, eripere.
Nec ſolùm eripere: aſt Thuſcæ linguæ aſſerere arte
In maieſtatis ſtemmata priſca ſuæ.
Stemmata nec tantùm in priſca, at facere vt mage clara
Sit mundi Auguſti totius imperiis.
Seu quà manè nouo Indiam adit Phœbeïa lampas,
Seu quà prona antris Oceani immoritur.
Belgica ter felix, ter feliciſſimáque, vno
Hoc Ludouico, à quo tot bona tantáque habes.
Aſpice: non aliter iuueneſcis quàm anguis, vbi anno
Exuccis properat ſe exuere exuuiis.
Aſpice: ſumma poli tangis faſtidia, ſacrum
Horrorémque ipſis incutis Aſtricolis:
Dùm, minui ſemper metuente virore, tuentur
Veſtra illum eximiè regna beare ſenem.
In tantum, vt toruè Inuidia muſſante vetuſtas
Dentibus indoleat nil ſupereſſe ſuis:
Fruſtráque in ſanum intentet Bellona flagellum,
Flammáque cum ferro haud ſit dare damna potis.
Sed credat quod quiſque volet. tereti ipſe ego verſu hoc
Teſtari ſeclis tam volo, quàm populis,
Credere me Guicciardino tanto eſſe minora
Plectra Amphioneæ prodigioſa lyræ.

Quantò nobilius, factuq; magis graue, Regna
  Plura fouere, vnum quàm extruere Oppidulum.

---

AD ABRAHAMVM ORTELIVM.

ELEGIA VIII.

VRanies, Eratusq; potens, Abrahame, Quiritum
  Gloria per quem ſit, Graiugenumq; minor.
Quid nunc te patriis rerum gerere autumem in oris?
  Res geſtas veteris diſcutere Hiſtoriæ?
An cœli & terræ immenſos euoluere tractus,
  Monſtrigenisq; caput Oceani abdere aquis?
An vultus rutilo ſpiranteis cernere in ære
  Cæſarum, & æterni tot decora alta operis?
An potius priſci Fluuios atq; Oppida ſecli
  Iam tandem propriis reddere nominibus?
Fecundiq; reſignando integra ſigna cerebri,
  Surripere ipſa ipſis tempora temporibus!
Quicquid agis: nec enim ſacris ſtas myſta Vacunæ,
  Et premit impoſito Murcia calce caput.
Tete ego felicem præ me voco, quem omnia ad vnum
  Aſpiciunt toruis Aſtra ſuperciliis.
Nam Batauos ex quo inter ago, externata dolore
  Mens animi, clarum non tuit a vlla diem eſt.
Promere nec valeat quicquam deſueta choreis
  Pegaſidum, quod acutam impleat auriculam:
Tantùm inter ſalices, tantùm inter deuia teſqua
  Itur, & ex oculis crebra cadit lacrima.
Scire tamen non eſt, mœrorum illæ vnde procellæ
  Proueniant tantis vndique & vſque minis.
Nam quamuis patriæ languentis imagine tangar,
  Conquerar & nuſquam Iuſtitiæ eſſe locum:
Quum



Quum tamen haud vllo ſint priua in honore Bonorum
  Conſilia, at ludo cuilibet atque ioco:
Ancipiti doceor ſi frena mouere dolori, vt
  Quum proſim nulli, mî quoque non noceam.
Quicquid at eſt, vos Cæleſtes auertite, ne ſint
  Iſta ſecuturi ſigna ſiniſtra mali.
Sin: magis atque magis tellure vigente paterna,
  In caput eueniant omina ſcæua meum.
Nunc tamen in tanto curarum pondere, habeto
  Pro tuo abortiua hæc carmina Monauio.
Ne portare putes, Orteli, dicta dediſſe
  Me tua laſciuis in mare flaminibus.

---

AD IACOBVM MONAVIVM.

ELEGIA IX.

EXilio in medio, curarum in perpete fluctu,
  Quis putet Aoniis ignibus eſſe locum?
Hic tamen iis locus eſt, ſtrophiisq; virente decorum
  Me iuuat exanimem voce animare lyram:
Ingenia & ſequi Apum, floris quæ rore de amaro
  Dulcia furtiuè ſugere mella ſolent.
Virginis ô verè primarie myſta Monaui,
  Vni præſentis reddere cuique ſuum.
Nec minus illius immortalis adorea Diuæ
  Quæ, obſtetrice ſecuri, è capite orta Iouis.
Huc ades atque faue, tibi dum officioſior aura
  Ingenij numerò ſe illatebrare parat.
Eſſe meas aliquid burras, apinasq; putare
  Tempore iam ex illo namq; Iacobe ſoles:
Ortelio quo auctore nimis iuuenaliter auſus
  Scribere pro Scito grande Epigramma tuo:

Heroaſq; inter ſedem affectare, ſuperſtes
Gloria adhuc per quos Græca-Latina viget.
Felix, ſi tantùm pinguis populi ordo teneret,
Differret nec me Fama per ora virûm.
Nunc, Lex ſacra ſemel quum ſit violata Pudoris,
Nuſquam ſollicitor eſſe deinde pudens.
Iamq; ſecundum adeò incipio inſanire furorem,
Ac malè-ſutâ alâ nubila celſa ſequi.
Et bene, quòd me aliqua tecum queo parte tueri,
Icarios caſus nec metuiſſe nimis.
Namq; canor quicunque tuas demulſerit aureis,
Non potis eſt nulli legitimæ eſſe notæ.
Primùm enim vt ætherias prodiſti lucis in oras,
Muſa tibi ambiuit fronde nouena thorum.
Fronde, comæ qua luxuriem Patrima virago,
Quaq; comæ frenat luxuriem alma Venus.
Parnaſusq; ſono plauſit gratante bicornis,
Auctior & ſolito lympha cucurrit Equi.
Sicq; ſua auditus loqui ab arbore Phœbus Apollo,
Dexterâ in auratas increpitante fideis:
Naſcere age ô choreæ, puer optatiſſime, Diuûm.
Naſcere age ô Patriæ ſæpe petite puer.
Iamq; trahas matris de ipſo vbere Hyantia mella,
Et genium quicquid, ingeniúmq; polit.
Hoſtium enim haud acie chalybis fœdare phalanges,
Principibúſve caput ſubiicere aptus eris.
Nec te auri extrudet ſitus illam vltrà Indiam vtramq;
Quam Sol hinc moriens, inde oriénſque videt.
Solùm animum capient ea, nil in quæ Dea iuris
Abſide nixa leui non ſtabilis rotæ, habet.
Obnuptumq; caput nunquam moriente corona,
Grande iubar Themidos Mnemoſynéſq; clues.

Quarum



Quarum remigio impoſitum te Gloria ouantis
Altera per terras, transq; freta alta vehet.
Altera odorati viuace in cortice cedri
Inſcalpet magnis nomina veſtra notis.
Heic vbi ad accentum vocisq; & barbiti eburnæ,
Senſim Heliconiades nant trepido pede humum.
Euenere, geli damnatorúmque locorum
Cultor, habes laudis conſcia cuncta tuæ:
Quiq; nouos Cæli Alipedes manè excitat, & qui
Veſperi anhelanteis excipit vnda maris:
Quaq; colorata Æthiopum gens flumina Nili:
Quaq; Scytha expreſſas de niue potat aquas.
Vſque adeò, vt quibus eſt ſobolem reperire Monetæ,
Diaq; Athenææ Pallados ora, volup.
Non iam ad Pindi apicem properent, laticémq; Meduſæ
Cecropiáſve arces, Romulidúmque focos:
Sed rectà ad tua tecta, Monaui, ritè dicata
Mercurij docto Calliopæq; gregi.
Quam ſi illic non eſt contingere lumine claro:
Saltim in contiguo limine cernere erit.
Limine Duditij, dîco. toto orbe fugatam
Hoſpitio ſecum qui Sapientiam habet:
Cuius & aſſiduè Peitho requieſcit in vlnis,
Cuius & aſſiduè Gratia labra colit.
Hà, magni ſaluete ſenes, ſaluete ferè omnium
Extremæ mundi ſidera ſumma plagæ:
Sidera, ſideribus Geminorum æqualia fratrum
Nautis, qui in magno turbine dulce micant.
Per vos Barbaria in curſum conuerſa fugacem
Claudere ſe Stygis it interiore lacu.
Primitùs Arctois modò & efferre incipit oris
Pierio grauidam Delius igne facem.

Quiq́; priùs fuerat nullo in pretio Od:ra cunctis,
Nunc Tiberim haud temerè prouocat atque Padum.
Sic eſt, ô decora Europæ. decurrere lucis
Vos ſpatium quamdiu fata benigna ſinent:
Non cum Saturno prorſum Aurea Secula credam
Hinc ad Auernaleis turpiter iſſe domos.
Neſtora totum igitur hilari ambo viuite. nec vos
Ætas ex vlla parte ſenecta grauet.
Sed quocunque pedem figatis, nobile manet
Lac ibi, & ambroſij mille ſaporis aquæ.
Inq́; iuuenca Hyemis Violæ calycéſq; Roſarum
Temporibus veſtris vſq; vireſcere ament.
Agminaq; alituum gradienteis voce ſalutent
Artifici: alarum fornicibusq́; tegant:
Ne noceant denſo prægnates grandine nymbi,
Flabraq́; mordacis impetuoſa Noti.
Veſtrum & vtrunque alto modulamine, imago iocoſa
Vndiq; per valleis & caua ſaxa crepet.
Vox cuius, Zephyri ductu, mox fundat Olympi
Ardua: ad indigites inde voletq́; Deos.

---

## AD FRANCISCVM CAMMIVM.

### ELEGIA X.

HA, quã ignobile nos trahit Aſtrũ! hà quã nigra nobis
Parcæ inamabilibus fila neunt digitis!
Vix benè, vix ſuperas lucis Pueri editi in oras
Grande tuebamur Solis vterque iubar:
Quum Patriam incipiunt arma inteſtina feroci
Eumenidum malè vexare ſatellitio.
Peſſum & ita omnia mox dederunt, vt flumina nuſquam
Sint propè ſanguinea non tumida à ſanie.

Omnibus



Omnibus inq́; locis errent rerum omnium egeni,
Ante quibus fuerat gaza opulenta domi.
Et benè: ſi finem ſaltim ſperare malorum
Horum vel pauſam tandem aliquando foret.
Sed quid? iam demum Pacem aufugiſſe reare,
Ac clauſas Iani huc vſque fuiſſe foreis.
Vſque adeò inſanas nunc ſpirant omnia liteis:
Vſque adeò exilium, ſingula & excidium.
Fallor? eò an ventum, hoc vt ſit ſperare ſalutem,
Mucronem iugulis excipere expoſitis?
Nempe ita. De nobis ſed quid, Cammi optime, fiet,
Queîs nondum electus vitæ aliquis modus eſt?
Certè, ego in hanc curam totus dum incumbo, iuuentæ, ah.
Ire, volubilibus ſentio ver pedibus.
Conſiliiq́; expers, nec quid fugiámve ſequárve
Poſſum ex vllius ſcire magiſterio.
Sic dubitat prenſus magno Nauta in mari vbi atrox
Sibilat hinc Boreas, ſibilat inde Notus.
Vixq́; potens claui, ſentit ſibi ſpiritum amaris
Surgere languentem continuò in lacrimis.
Me miſerum, primis quòd non ſim extinctus ab annis!
Contigit aut ſaltim tempore naſci alio!
Nam quid cum vita mihi, ſi velut vnda aliâ vndâ
Pellitur ipſe prior à grauiore dolor.
O ſi, Pax, eſſes, quàm non graue tunc foret horæ
Vno momento deſpicere optimum iter!
Vellem enim inhumano ſecretus ab ordine vulgi
Otia patrito ſub Lare honeſta ſequi.
Patrito Lare: non ebore vndique, & vndique fulto,
Spirante aut gratos Arrabiæ ſegetes.
Sed quem non violent veſano flamine venti,
Sed quem non ſubeat Inuidiæ ille oculus.

Illic ſit paruas qui riuus ob ambulet ædeis,
Et viridem blando pulſet humum ſtrepitu.
Illic ſit breuis annexus qui credita reddat
Semper ager, iuſtis non ſine fœnoribus.
O Dij! quàm latis, me errare iuuaret in aruis,
Integrat auguſtum quum Philomela melos!
Et tecum gelidis modò, Cammi, in vallibus æſtum
Spernere creſcentem ſideris Erigones!
Et modò ſub molli dulceis capere arbore ſomnos,
Dum gracili inſultant murmure aquis lapides!
Quà ô ſæpè à Sole exoriente ad tempora noctis
Sera, coronatas inter Hamadryades,
Implicitis manibus choreas ageremus, acutis
Mollia ludentes carmina arundinibus!
Queîs dum accantarent motis Volucrum agmina pennis,
Iniicerent noſtris ſerta comis Saturi:
Nec mage nota forent duo nomina Siluicolis Diis,
Quàm Franciſce tuum, quamq; Grutere, tuum.
Hei mihi! quid fruſtrà laſſo meo in vlcere dextram?
Illáque ſomnio, quæ non feret vlla dies?
Sit ſatis, ah, liceat nobis ſi ità viuere, famam vt
Poßimus Mortis tollere de feretro:
Orcus & haud geminam de noſtris tempore eodem
Corporibus palmam, nominibusq; ferat.
Exitus in genibus Superûm eſt. at tu optime Cammi,
Si viuus quondam poſt cinerem meum eris,
Eſto mihi Pollux, & fac iterum æthera cernam
De Rhadamantheo ſegregus Eridano.
Sic quoque, ſi verſa vice tu omnis obiueris, ibis
Et duce, & auſpice me, docta per ora virûm.

AD



## AD NATHANEM CHYTRAEVM.

### ELEGIA XI.

Vluebam miſerè ærumnarum in continuo æſtu,
Obſeſſusq; ægra cum Patria vndique eram,
Quum cautim, ecce, ad me per caſtra hoſtilia ſcandit
Litera bina tua ſculpta, Chytræe, manu.
Vna loquebatur breuiter ſermone pedeſtri:
Altera tinnibat grande decenter epos.
Aſpexi. & violæ pallentis tincta colore
Confudit ſubitas purpura crebra genas.
Ergo vſque Arctois, inquibam, hæc vtraque ab oris
Articulo hoc rerum, maſcula nuntia adeſt?
Nec vetuere viæ, vetueréve mille pericla,
Heîc mecum vellent quin tolerare famem?
O multùm fidæ ſaluete & auete Tabellæ:
Saluete & capite ô ſuauia multa mea.
Protinus & ter centum impreſſeram vbi oſcula vtrique
Hauſi animi ſenſum terq; quaterq; tui.
Qui mihi non aliter mœrorem è pectore abegit,
Quàm à nautis, Lædes clara propago metum.
Nautis qui in magno prenſi mare cum rate parua
Vexantur tenebris hinc nimium, inde Noto.
Nam vario vt taceam vernantia dicta lepore,
Lectáque diuino de Vraniæ ore mele:
Illic frons aberat veſano inflata tumore,
Vulpeq; ſuffultum callidiore iecur.
Illic lucebat ſinceri exemplar amoris,
Aurei adhuc qualis tempore ſeculi erat.
Me ſolùm hoc malè habebat, iniquior ipſe quod in te
Extenuans genij dona beata, fores.

*Singula enim quamuis Suada præeunte loquatur*
*Lipſius, ac Sophiæ primus in arce cluat.*
*Et, nulli quanquam Douſa attentata reſignet*
*Clauſtra, coronatis Duxq; triumphet equis.*
*Nil tamen eſt te cur amplectar amore minore,*
*Iuxta & eos renuam principem habere locum.*
*Es quoque enim viſus Phœbeo à lumine quondam,*
*Fotus & in triplicis Gratiæ amante ſinu.*
*Hinc licitum tibi fontem hauſtu deplere potenti*
*Auguſtâ factum Pegaſi ab vngulâ equi:*
*Præpeteq; euecto penna immortalium Olorum,*
*Ardua Parnaſi peruolitare iugi.*
*Hocq; negare negant præclara reperta, quæ vbique*
*In populos latè Calliope ire ſinit.*
*Nec faciunt fremitúſq; & frigora Balthiacæ vndæ,*
*Augeſcat tua quin fama mage atque mage.*
*Qualis enim noctu in Regum penetralibus altis,*
*Gemma, imitata ignis fulgura clara, nitet,*
*Exuperansq; ſuis tenebrarum examina illis,*
*Purpureo veſtit omne cubile die.*
*Talis es, ô vates magne, in regionibus illis,*
*Flora fere nunquam quas Zephyritis adit.*
*Támq; adeò per te ipſas Roſtochij ſcholæ Athenas*
*Prouocat, atque nihil Tibride Varna minor.*
*Vtque tuo valeant de lumine lumen apiſci,*
*Eoas linquunt, Heſperiaſq; plagas:*
*Haud illi ſolùm vario qui errore vagantes,*
*Muſæas poſſunt non reperire foreis:*
*Sed perfuſa quibus mordaci pectora aceto*
*Fictaq; mens animi de meliore luto.*
*Macte igitur felix genij ingeniiq; Chytræe.*
*Non fato totus adueniente cades.*





*Alatè ignauum Libitinæ egreſſe feretrum,*
*Poſt obitum Phœnix mox rediuiuus eris.*
*Fultus & indomito ſuper aſtrata arua volatu,*
*Signat vbi Iuno lacte ſuo alma viam,*
*Ritè tuum nomen ſacrabis in arce Monetæ,*
*Proximè Homeriacas, Virgiliiq; notas.*
*O ſi tunc mihi téque tuos curſuſq; liceret*
*Sidera cælorum per radiata ſequi!*
*Inuolucres cupiam pennas ſubitò omnis abire,*
*Vngue nec à latere longiùs ire tibi.*
*Fata vetant. primóque tepentis vere iuuentæ,*
*Mnemoſidum cogor linquere docta ſacra.*
*Iamq; onerant galeæ ceruicem pondera, & enſis*
*Degrauat hanc, illam ferreus vmbo manum.*
*Non malè: ſi patriæ his defendere funera poſſem,*
*Aut luſtrare probo facta atauita gradu.*
*Sed quid? cognato ſolùm de ſanguine præda*
*Nunc iuuat, atque auro caſtra, fidéſq; patent.*
*Atque vtinam quoque non reſeret tibi, Patria, portas*
*Eius ſacra fames, ſeditioq; potens.*
*Dij prohibete nefas. timeo tamen heu, timeo, ipſam*
*Alterutrum ne te det, vel vtrumque, neci.*

---

## AD ALEXANDRVM GRAPHEVM.
### ELEGIA XII.

*VT ſedet arbore in exangui Philomela cui auceps*
*Abſtulit ingrata pignora parua manu:*
*Exuccóque graueis geminat longùm ore querelas,*
*Et ſe curarum mergit in Oceano:*
*Sic ego, ſic Patriæ ob caſum infelicis acerbum,*
*Solus in exili vitam ago inopſq; caſa.*

Nec tam manè vnquam viduantur lumina ſomno,
Nec tam veſperi adit pectora feſſa ſopor:
Quin mihi per faciem lacrymarum defluat imber,
Integret atque exſpes vox miſerabile epos.
Ergo Poëtificus quondam ille ille æſtus, & ignis,
Nil niſi nigra cinis, nil niſi fumus erit?
Ingratiq; notam vitare nequibo, Graphëus,
In minimis ſi me Nomine pro malo habet?
O dolor! offenſi incurrit graue crimen amici:
In re alia validè qui cupit eſſe pius.
Magne Graphëe, Graphëe oculis mage amate mihi, ecquid
Pro meritis dignum reddere quibo tibi?
Quibo tibi? hoc verum articulo, quo nulla vacua
Sunt ſpatia à gemitu, ſuppliciisq; mihi.
Quibo tibi? quem caſta Venus Charitúmq; frequenter
Alterno Puerum Triga tulere ſinu.
Cui citharam ex humeris ſuſpendit Pleiade natus
Gemmatam, tinxit cui labra Suada fauis.
Tu me, tu ignotum numeraſti i claſſe in eorum
Queis non mortali vis probè adeſſe fide.
In tabulisq; meis ſculpſiſti carmina, ſanctæ
Menſa deaurato pollice Terpſichores.
Carmina nectareo quæ aſperſit flumine coniux
Herculis, inque quibus abluit illa manus,
Quæ ſine matre creata Iouis cerebro, arbitrium omne
Nunc modò habet Belli, nunc modò Pacis habet.
Hà, quantum iam oblita ſui, dum tantum in amari
Martis agit caſtris, cura Oleæ nec ei eſt.
Hà virgo, hà cur non deſerta & caſſide & haſta,
Aurea de cælo mittere ſecula amas!
Plus ſatis Europæ, ah, maieſtas ardua, paſſa eſt
Natorum in proprio ſanguine naufragium.

Plus



Plus ſatis ah, Vrbes ſummis capita æquaferentes
Nubibus, hoſtili, ſuccubuere iugo.
Belgica præcipuè ſub faſce fatiſcit iniqua
Pœnarum, in votis iámque, Mori, vnicum adeſt.
Ecce, ſub haſtâ latâ dat venum Præco pudoris
Ante hac intactas virginei exuuias.
Ecce, reuulſi vdo infantes matrum vbere, ſaxa
Inficiunt cerebro, inde exaturantq; canes.
Decrepita, ecce, gemit fulgente ſub enſe ſenectus,
Sunt ab eo tutæ nec muliercul æ anus.
Horum ecquis dabitis finis, Dea maſcula? vix vix
Corpora iam, Mortis ſed ſimulacra ſumus.
Omnia ſubripuit nobis Ciuilis Enyo,
Ne ligulámq; quidem vel ſupereſſe dedit.
Sed quid? an omnibus undiq; ademptis, inuida ademit
Fortunæ, nobis vis quoque, Poſſe mori?
Heus moriamur & intrepido mucrone, dolores
Nobiſcum in Lethes præcipitemus aquas.
Qui patriâ occubuit regione, haud ille inhonorus
Ludibrium externis cogitur eſſe locis.
Ergo docte Graphëe vale: hæcq; mea vltima verba
Chirographum veteris non leue debiti habe.
Vtile rem ad nullam, fateor: ſed ſymbola certa,
Tunc quoque, quum morerer, me ære fuiſſe tuo.

## AD ADAMVM CAMMIVM.

### ELEGIA XIII.

PEſſū ità quū omnia eāt, ſe humani vt ſanguinis amnē
Arua magis, pluuio quàm imbre, quærantur ali.
Nulláq; ſint loca vbi non conſpiciantur acutâ
Corpora Nobilium excarnificata nece.

C

*Quod nobis, Cammi, tumido pelago ærumnarum*
*Immerſis, tandem præſtò erit auxilium?*
*Certè ego, iamdudum valedicta Muſicâ auenâ,*
*Eaucens imo vix animam è latere,*
*Vnum habeo aſsiduè hoc orare, citò vt mihi rumpat*
*Stamina, Parcarum deſidioſa manus.*
*Ten' vt ego, ô mere Sol Regionum, Belgica, quotquot*
*Exoriens luſtrat, occiduúſq; dies,*
*Intuear miſerabiliter furcâ hoſticâ, Olympi*
*De alto apice ad furuum præcipitari Erebum?*
*O potiùs iam nunc mihi fortis tenuia culter*
*Tranſadigat crebris pectora vulneribus!*
*Sic etenim occumbens, non mortes mille moriri*
*Cogar in extremâ poſteà amaritie.*
*Nec deflere erit excidium fatale Meorum,*
*Verſasq́;, in Martis præmia, opes atauûm:*
*Non illata pudori coloribus horrida ſtupra*
*Impuro Cacularum à grege Virginibus:*
*Non alia atque alia bis triplo grauiora, ferarum*
*Quæ pote cordolium ſint facere ingeniis.*
*Sed, laticem propè letheum ſpatiando, dolores*
*Ferre darem volucri per maria alta Noto.*
*Aggreſſúſq; animas, nunc hanc, nunc eligerem illam,*
*Longa eſſet cum qua texere colloquia.*
*Moxq́; illa intrarem tentoria, proximam Homero*
*Virgilij genius ſedem vbi dius habet.*
*Defixúſq; diu intentis oculis in vtrumque,*
*Sermones ipſorum aure auida imbiberem.*
*Meq́; alta tandem clamarem voce beatum,*
*Cui vel fas, taleis cernere poſt obitum.*
*At tua quid, Cammi, quid, Cammi, mens tua voluit?*
*Tolle ſolo exangueis, ſurſum age tolle oculos.*
*Omniáq;*



*Omniáq; habeq́; prius tentare, exempla probaſſe*
*Quàm mea, iam tibi adhuc dū modò genua virent.*
*Quin rurſum, i, galea caput indue, & acer in armis*
*Aude iterum æratis obuius ire globis.*
*Vt pereas, ſtragum ante dabit tuaf· amea aceruos.*
*Et pulcrum eſt vitam effundere pro patria.*
*Sed ſpera. Ap; laudei forſit Victoria, & hoſteis*
*Inuictus dabitur cingere compedibus.*
*Quàm ô tūc gaudebis! quàm ô tunc hilarus platearum*
*Tergore vectus equi ſæpe teres ſilices!*
*Tunc erit ô iucundum æſtus toleraſſe, geluq;,*
*Dulcéque tunc, lacrymis ſæpe oneraſſe genas.*
*Cuncta inopina ſalus Patriæ parta ac tibi opima*
*In ſummam vertent lætitiam ſpolia.*
*Ne tamen vſque adeò exultes, animo vt cadā Adamei*
*Ipſe tuo, & Deſperatio ſcæua mea.*
*Sed ſi quando feret propius te iter ad mea buſta,*
*Opta age, vt æternum ſit mihi terra leuis.*
*Atque ita, ſuſpirans dicas: Iuſsit pietas te, ah,*
*Officioſa nimis, Iane Grutere mori.*
*Sic quoq; ſic ferro incubuit quondā, ingredi adhuc qui*
*Exuuiis poſſet hoſtium adauctus, Otho.*

# IANI GRVTERI ELEGIARVM

## LIBER SECVNDVS.

### AD IANVM DOVSAM.

### ELEGIA I.

DOVSA, *lubens cui ſceptra ſua tranſcripſit Apollo,*
*Cuiq; dedit Charitas dono Erycina Venus,*
*Quid nūc te Hagano rerum gerere autumem in agro,*
*Quem nemus hinc ornat, ornat & inde mare.*
*Num fors, Muſarum cinctus latera agmine, Siluas*
*Ire doces agili poſt tua plectra gradu?*
*Cogis & Oceani ſine murmure nunc fluere vndas,*
*Nunc ſtare, artificis vocis ad arbitrium?*
*Aut Plauti auratis genio ſolerte libellis*
*Reſtituis numeros, reſtituisq; ioca?*
*Inq; decus priſcum blanda aſſeris ora Propertij,*
*Nec ſinis in tenebris degere Horatium epos?*
*An magis in dubia re te omnis conſulit ordo,*
*Denſa ſacro ac vatum pendet ab ore cohors?*
*Et modò compoſitâ terit hic tua limina plantâ,*
*Dilecti vt poßit de numero eſſe gregis?*
*Et modò te hic per cauſam adit, vt ſua paſcere Natæ*
*Sit ieiuna tuæ lumina luminibus?*
*Natæ, cui, cæli domibus, Matriſq; relictis*
*Illecebris, præſtò eſt ac famulatur Amor.*





*Natæ, cui lenis cum Maieſtate Venuſtas*
*Temperat inceſſum, frontis & inclytum ebur.*
*O ſuperi faciles, tibi qui bona tanta dederunt,*
*Quottidieq; augent illa mage atque mage.*
*At me infertilibus ventoſa Valachria arenis,*
*Quas refluo Nereus flumine circat, habet.*
*Dumq; mea exopto ventos in vota ſecundos*
*Septem, bisq; octo præteriere dies.*
*Nec pœnæ ſat erat pelagi audire ſtrepitum altum,*
*Ranarúmq; coaxantium amara mele:*
*Ni quoque & omne mihi cura exederet mala pectus,*
*Proſcribens reliquas vndique lætitias.*
*Dum nunc indicio cogit pendere me ab omni,*
*Et dum nunc non vult indicio eſſe fidem.*
*O ſtellæ! ô tellus! ô principia Amphytrites!*
*Gallica res num iterum ſcæuâ agitatur aue?*
*Raptáq; præcipiti Martis Germana quadriga,*
*Turbat Auernali cuncta ſatellitio?*
*Proiice tela manu ſanguis Troiane, cruore,*
*Plus ſatis humano, ah, veſtra madeſcit humus.*
*Plus ſatis, ah, freta naufragiis texiſtis, auaræ*
*Veſtráq; plus ſatis, ah, tecta tulere, faces.*
*Aſpice. quocunque agri infigit cultor aratrum,*
*Obtundi queritur oßibus arma ſua.*
*Siq; aliquò verſat fortè altiùs arua ligone,*
*Purpurei cito adhuc proſiliunt latices.*
*Quod ſi vos nihil hæc moueant, reuerentia ſaltim*
*Doctarum moueat Virginum & Eurynomes.*
*Hæc nec enim, aut illæ, ſanie aſpicere oblita ſcuta*
*Suſtineant, tonitru terribiliſve tubæ.*
*Nedum enſem nati rorantem cede paterna,*
*Infantum nedum ante ora abauita neces.*

Sed quid? num quoque Cæleſtum collegia ſpernunt
  Præ horrendus dirarum anguibus Eumenidum?
Ergo, crudelis turba ô fuge Muſica terras,
  Et conuertite vos ad meliora loca.
Ipſe quoque, exegit quem Mars natalibus oris,
  Quomodò eum externâ, heu, in regione feram?
Stat fines certè potiùs peragrare profundi,
  Vſpiam & haud vllo ducere in orbe moram.
Perq́; nigros ſaltus errare licentiùs, & per
  Montium Hyperboreâ culmina amicta niue.
Imò ipſum iam nunc viuens Acherunta tenacem
  Tranſuehi amem, quã vſquam bella videre mala.
Iamq́; adeò nunc ite pedes, quocunque vocabit
  Africus, aut rabies imperioſa Noti.
Tu verò mihi, Douſa, vale. noriſq́; Gruterum
  Vſque, ſub infauſtis viuere ſideribus.

## AD BARNABAM BRISSONIVM, ELEGIA II.

MNemoſides Diuæ, melico quæ in vertice Pindi
  Sufficitis ſenſus arboreæ vmbræ, & aquis.
Tempora nunc mea pauxillum illâ tangite myrtho,
  Sub cuius ſomnum tegmine cepit Amor,
Tunc quum traiecit telo cor Apollini acutè,
  Et Daphnes iuſſit de feritate queri.
Non vt carminibus miſerabiliter Patriæ ægræ
  Fata iterum atq́; iterum nocte diéque fleam.
Nec Dominæ dulci auſteros flectam impete ſenſus,
  Déve Puellarum victor ouem thalamis.
Sed mage quò lotas aureis Briſonij aceto,
  Non tralatitijs ſit tenuiſſe toris.

Dum



Dum, deſiderij vrgentis teſtamina, vomer
  Plumifer heîc graphicè charteo in æquore arat.
Me miſerum, quod non itidem conceſſa facultas
  Poſſe ſerenato cominus ore frui:
Barnabæ & attonitus vocem bibere auribus auream,
  Dexteræ honoratos tangereq́; articulos.
Si ſic, non vos, Aonides, in vota cierem,
  Ingenium aut quererer vilius eſſe mihi.
Eius enim aſpectus vireis animo adderet, auramq́;
  Orantis traherem non humilem à labiis.
At quid? num quoque & incaſſum veſtra oſtia pulſo?
  Me nec Aperta palam reſpicere vllus amat?
Hà ſcio. ſe veſtrûm nemo committere terræ
  Gaudet, aquâ vndiq́; quam circat amara Tethis:
Nulla vbi ſuppeditant ſecretæ vmbracula ſiluæ:
  Nulla vbi penſilibus proſilit vnda iugis.
Proq́; volucrum vbi garritu, ſtudet graue murmur
  Oceani, & Ranarum immedicabile epos.
Doctum & vbi ſi monſtretis, monſtrauerim ego altè
  In medio ſegetem luxuriare Tago.
Grata magis vobis lymphæ ſcaturigo fluentis,
  Gutture quæq́; canit multiplici Attica auis.
Grata magis vobis camerato, fornice opaca
  Antra, coronatus floreq́; perpetim ager.
Grata magis vobis clarorum examina vatum,
  Et queîs de fuluo pectora ficta luto:
Qualia non vno Gallorum alit ordine tellus.
  Quam certum eſt, vobis aſſiduam eſſe domum.
Dicite ſed quid, triga triplex, tunc mentis habetis,
  Quum pendere mei. Barnabæ ab ore datur?
Nonne aliquem artifice tali ſub imagine, Olympi
  Iuratis ſeſe diſſimulare Deum?

Certè, ſupra hominem ſapit, & ſi haud Numen in ipſo,
Cælorum tamen eſt non minor Indigenis.
Omnibus ô verè monſtrum admirabile! ouantis
Naturæ ô rurſum non imitabile opus!
O Suadæ illibata medulla! ô aurea Seiren!
Quis dat ita auguſto, ô, te Deus ore loqui?
Et pede quo ingreſſum putem iter, legionibus ac queis
Rupis inacceſſæ te exuperaſſe rubos!
Heîc vbi in auratâ micat Aſtræa alma cathedrâ,
Cui Nemeſis comes hinc à latere, inde Themis.
O quæ Mnemoſynes deduxit ad atria Clio
Paruulum? Apollineis inſtituitq; ſacris?
Semitam vti poſſim, mihi quæ nondũ vlla reperta eſt,
Cernere, & integros fontium adire lacus:
Vnde, ſine æmulo adhuc, laticem multũ vnica & vna
Potarunt pleno labra triente tua.
Ad quos ſi digitum tantillum intenderis, ipſas
Diceris Diuûm tunc mihi obire vices.
Tuncq; nouo immenſum cantu te differam, biante
Ducere ſacram omnem fauce paratus aquam.
Ferculáque aggrediar, currúmq; parare triumphis,
Et, tua quæ circum tempora, lauream, cat.
Próq; humero promens oſtrum victore, virentis
Exornabo tuas frondis honore fereis.
Ibit Barbaries, capitis Diademate rupto,
Ante rotas ferro vincta manum atque pedes.
Turbáque reſtrictis patietur lora lacertis
Quæ tenebras Soli Iuſtitiæ ante tulit:
Quæq; rubri cuiuis maſſa mercabilis auri,
Quæq; aliam ex alia docta creare ſtropham.
Ecce. Venus, gemino ſtipata Cupidine, circum
Te ſaliet, circum te ſaliétq; Charis.

Ecce



Ecce Dea æqua, nouo corpus velamine nupta,
Prodibit cunctis obuia luminibus.
Ante Fides gradietur ouans, comitante grege illo
Deſeruit quondam qui ob ſcelera impia humum:
Grex, Lepor atque Salus viduatáq; felle Voluptas.
Simplicitáſq; ſagax, ingenuúſq; Pudor.
Qualibus ô tunc vocibus excipiere! viæ ô quàm
Tunc fœtæ effuſo floréq; & vnguine erunt!
Qualiter alarum ô tibi Fama argentea plaudet
Remigio, à facie diſcutiétq; Notos!
Nempe tuba clangente altum, Briſonij apertis
Nomina deponet omnium in auriculis.
Dúmq; canet, Valles ſonitum, Colléſq; remittent:
Vox feriétq; Æthram, vox feriétq; Mare.
Attolléńſq; hilareis plauſus plebs tota frequenter.
Saturni hoc, dicent, Vindice ſeculum adeſt.
Sic, vbi de patrio ſurgit Phœnix cinere, auro &
Natiuo Phœbi prouocat acre iubar,
Cingitur indigenarum auium denſè agmine ab omni
Pérq; ſalutantum it omina amabilia.

## AD ANNAM PALLANTIAM.

### ELEGIA III.

Altera, iô, quænam cælum Pandora relinquit,
Iapetiq; venit viſere triſte genus?
Non cui Pixis adeſt, inſanis fœta venenis,
Linguáque quæ in fraudeis quemq; repentè trahat?
Sed Pandora, Iouis cerebro edita, cuique decoris
Contribuit quicquid poſſidet ordo Deûm:
Quæq; piet priſcæ labu contagia, mundo
Adferat, & cunctis antidota alma malis.

Sed Pandora, iterum nobis quæ Numina ſiſtat
Ob Pyrrhæ patrui furta fugata ſolo.
Nam quid ego te hominē credā Pallantia, nam quid
Mortali reputem ſanguine te, Anna, ſatam?
Haud ſecus auguſti quum purpurei oris honore,
Euranimóq; oculi lumine cuncta bees,
Quam Sol, Oceani modò aquarum aſpergine lautus,
Arrabiæ populos manè vbi clarat eques.
Tertio & in luſtri quum præſens carcere, Muſis
Muſarumq; adeò Præſtite digna loqui.
Non, non dona decem pepererunt talia menſes.
Sed de cæleſti culmine miſſa Dea es.
Hinc etiam meritò geniale examen Amorum
Ingenuum ſtipant ſponte tibi vſq; latus.
Sectáq; Pontigenæ Veneris Chariteïa triga
Ore tuo ſedem conſtituere ſibi.
Hinc etiam meritò gradientem cæſia Pallas
Te præit, & Memoris Matris honora cohors.
Quáq; pedem ponis ſubſultat Dædala, moxq;
Flore nouo paſſim luxuriatur, humus.
Alituumq; genus pennis raptum omne per auras,
Blanditur gracili gutturis arte tibi.
Applauduntq; comis nemorum capita alta coruſcis,
Et folio è quouis mellea manat aqua.
Hincq; etiam meritò Europæ florentior orbis
Anna, tuum dio Numen honore colit.
Marmore & è Pario candenteis ſuſcitat Aras,
Quas horna aſſiduè fruxq; merumq; beant.
Vſpiam & è populo ſi quis ſecretus inerti,
Cui cor adeſt, & cui læua mamilla ſalit,
Is tibi ſuppliciter ſolenneis pectore & ore
Ritè canit laudes, votaq; crebra facit.

Quotquot



Quotquot & Aonio purgarunt flumine crineis,
Exq; Helicone ſibi ſerta tulere iugo,
Te te oriente die, te te moriente ſalutant
Humani generis Delicium atque Deûm.
Virtutumq; tubâ ſeriem clangente tuarum
Vndiq; per montes, & maria alta ferunt.
Vſque adeò, vt quos implicat occiduo æquore Nereus,
Eoi & circum quos ſonat vnda freti.
Atq; Helice æternis quos damnat cruda pruinis:
Imbricitor vexat flamine quóſque Notus,
Cæleſtem quoque te norint, Pallantia, Diuam,
Pro tali & ſumma relligione colant.
O ſalue auguſtum decus ac meta Heroinon!
Méq; ſupercilio leni aliquando vide.
Pectoris & ſtupidi diſcuſſa nocte maligna,
Da propiùs doteis noſcere poſſe tuas.
Ipſe at ego interea heîc tibi vbi ſtat nobile Signum,
Corq; Animumq; volens conſtituo ante pedes.

## AD AEMILIVM ROSENDALIVM.

### ELEGIA IV.

QVid nunc te patria facere arbitrer, Æmili, in vrbe
Quæ ſua ab auro illo diuite nomina habet?
Num pingui nimium deuictus corda veterno,
Marciæ imaginibus Deſidiæq; lita?
Corve Cupidinea traiectus arundine, ſimplex
Quē vlla vnquā haud potuit forma mouere, mouet?
Feſtinans trepidusq; modò huc, illucq; modò, ipſam
Imperium omne tuæ mentis habere doles?
At nil conueniens tibi erat minus, ire per arteis
Dum decuit, Latium, Græcia quasq; colit.

*Ad quid enim te aliud naſcentem lumine claro*
*Vidit Atlantiades, Pieridúmque pater?*
*Adq́; quid in gremio bene paruum maſcula Pallas*
*Fouit, & impreßit oſcula Suada genis?*
*Adq́; quid Vranie, vlteriùs celſa aſtra, tibi æquum*
*Ad Iouis auguſti limina ſtrauit iter?*
*Sed fallor. non ignauæ audis myſta Vacunæ,*
*Aut tibi Diua premit Cypria calce caput.*
*Tradita enim in manum heri noſtram tua Epiſtola, tete*
*In veterum affirmat perpetuum eſſe libris.*
*Indéq;, ad inſtar Apis, totúmq; Veris honorem*
*Carpit, inexhauſtas condere in horreo opes.*
*Fortunate Roſendali, opes cui curæ eæ, ab vllo*
*Vnquam quæ nequeunt igne vel amne rapi.*
*Quæq́; ipſo augeſcant quum tempore, & in diem & horam,*
*Plus pretij ſemper, plus bonitatis habent:*
*Euectóq; homine ad cæli tandem atria, donant*
*Ambroſiáque dape, nectareo imbréq; ali.*
*At me infelicem, Fortis quem ſcæua poteſtas*
*Ex humili prohibet ſurgere ad alta loca:*
*Nempe ſoporari vt mea fama aſpergine Lethes*
*Poſſet, & ex Orci non reuenire ſpecu.*
*Námq; vt obumbrauit mentum lanugo mihi, ætas*
*Exceßitq́; arcto verna magiſterio,*
*Nulla dies caruit, caruit nox nulla ærumnis,*
*Semper at in lacrimis, in gemitúq; fui.*
*Nunc nunc præcipuè: patriis dum ſpretus ab oris,*
*Suſtineo exilij tantáq; tótq; mala,*
*Vlla iterum vt non ſit ſpes illa relicta videndi.*
*Illa videndi, ah, quæ ſpes iterum eſſe queat,*
*Omnia quum facium vaſtentur fulmine, peſſum*
*Omnia quum ferri viuido acumine eant?*

Quin



*Quin vbi perueniunt ſcelera iſta nefanda mi ad aureis,*
*Humano inuiſas opto pedi ire vias:*
*Quò nomen mihi dulce, ſimúlq;, Belgicæ, amarum,*
*Non penetrare vllis ſit pote temporibus.*
*Nedum auſit fama illius vlla venire ruentis,*
*Fama procelloſi turbine vecta Noti.*
*Quæ mihi ſic tetra eſt, ſicq́; horribilis, Deûm vt orem*
*Numina, ſeu nox ſit, ſiue ſit orta dies:*
*Vt vel in æternum ſeruent Patriæ caput, aut dent*
*Extemplo ſubita morte perire mihi.*

---

## AD GEORGIVM BVCHANANVM.

### ELEGIA V.

*BArbara corda virûm ſemper ferat, orbêq; toto*
*Stet diuiſa procul terra Caledonia:*
*Quum tamen, ô Buchanane, tuos quoque vendicet ortus,*
*Videris ac primùm Solis ibi acre iubar.*
*Sic enim ei aſſurgant & caræ Palladi Athenæ:*
*Et loca quæ lambit Tibridis algida aqua.*
*O certè Deus, aut proles auguſta Deorum!*
*Natura altùm in quo complacet ipſa ſibi:*
*Quémq; homines inter iußit fulgere, minutas*
*Inter plena velut Cynthia nocte faceis:*
*Cuius diuiniq; actus, diuináque verba,*
*Virtute implerent mundi vtriuſque latus.*
*Cedite Romani, Actæiq; faceßite vates.*
*Iam nihil eſt mihi, cur ſomnia veſtra morer.*
*Me cælo delapſa tenet Muſa altior, auri*
*Dulce magiſq; meæ barbiti inerrat epos.*
*Barbiti epos, ſilicum præſens mollire rigorem,*
*Et poſt ſe pecudes hinc trahere, inde nemus.*

Barbiti epos, quod Auernalis conſulta Senatus
Infringat, triplici frenet & ora Cani.
Barbiti epos, quod non tantum Rhodopeïus Orpheus
Natus & Antiopes, Inachideſq́; Linus:
Sed tu ter triplex Memori turba edita matre,
Sed tu mireris Phœbe ſagittipotens.
O ter ſancta mele! ô non vnquam imitabilia vlli!
Heîc reperire omne eſt quicquid vbique fuit.
Hà ſæuam Lacheſim, quæ, quum me proxima haberet
Regna, tuo vetuit lumine poſſe frui:
Aureæ & attonitis linguæ bibere alloquia aurea
Senſibus, ac penitus inſinuare tibi.
Hà ſæuam verè Lacheſim! fas quod tamen vnum
Hoc facio. & quum Sol ſe exerit Indicâ aquâ,
Gratanter Lucem iubeo ſaluere, frequenter
Luſtrat & illuſtrat Scotica quæ arua rotis.
Illius & radians telum ſubmiſſus adoro,
Infanti tibi obit quod ſola tacta pede.
Siq́; aliquis precibus locus eſt, deuenit vt oram
Ipſa, vbi iam propius ora videre tua:
Strigat, amabiliterq́; tibi fors nunciat, à me
Innumerabilibus quam venerere modis.
Hæcq́; mea ô vtinam pietas, Buchanane, fauorem
Ex aliqua poſſit parte merere ſuum.
Si ſic, vos coiitis qui Olympica templa valete.
Nil ego enim veſtris ſortibus inuideo.
Sed quid adhuc dubito? certè meret. hocq́; etiam Aura
Quæ venit occidua de regione docet.
Dum mihi, neſcio quo, præcordia concitat æſtro,
Sponteq́; per laudeis raptat vbique tuas.
Nunc quoq; dum cano, obit leni mihi flamine vtrimq́;
Tempora, & hæc dictat qualiacunque vides.

Quæ



Quæ, quò grata magis valeant, Buchanane, tibi eſſe:
Adiunxi comitum meq́; animumq́; vice.
Vt licet, vtque libet, fruere his atque vtere, in omne
Mancipio tempus certus vtrumque dari.

---

## AD ADOLPHVM MEKERCHVM.

### ELEGIA VI.

DVm ſterili auſteræ cohibere Valachriæ arena,
Teq́; vetat liquidum currere ventus iter:
Mens animi ecquid agis? ſtolido nũ immerſa veterno
Murciæ inornatis ſtas operata ſacris?
Spiritus & cecidit tuus ille? A tauita ſolebat
Eruere è caſtis qui monumenta libris?
Quiq́; Philetea inſignis teſtudine, raptim
Ibat ad intactâ Muſica templa viâ?
Sic certè. Nam quis queat heîc in vota ciere,
Ter tria honoratæ pignora Mnemoſynes?
Nullus vbi muſcoſo proſilit è lapide humor:
Florea nec dulceis herba colorat agros.
Nullum vbi frondoſa nemus eſt cinctũ arbore, nullaq́;
Attica multiſcio gutture tinnit auis.
Surgit at è ſalſis non ſana paludibus aura,
Flucticolor quauis algaq́; prodit humo.
Multa & vbi graui odore omnem inficit aëra taxus:
Ac rapidè in cunctis rana coaxat aquis.
O vtinam quicunque prior ſe credidit aruis
Quæ fluctu refluo circat amara Thetis,
De Phlegethonteïs lacubus bibat aſſiduè, vllo
Vnquam nec pote ſit ſiſtere fonte ſitim.
Non, Phœbe, eſt ſpectare tuum, ferè in æquore turres,
Vilibus extructas marmoribuſq́; domos.

Nec veſtrum eſt, quardata trias, luſtrare tabernas
 Omnigenis grauidas Indiæ aromatibus:
Aut mare veliferis oneratum lintribus, Orci
 Qui certent paulla ſpe lucri adire lacus.
Vobis grata magis raro Viridaria Sole,
 Grata magis fugiens Lympha ſub ilicibus.
Præq; cauis ſordent laquearia gemmea ſaxis:
 Præ laurúq; Arabum ſordet auarus odor.
Et tamen hîc ego vos cupiam mihi habere fauentes,
 Tangi & auem mitis luce ſupercilij.
Vulgari nec enim eſt accentu adeunda Mekerchi
 Auris, acetoſi lota liquoris aqua.
Nil ago. ſed fruſtrà Aonidas, Clarium & Deum adoro
 Dignentur numeris proximi vt eſſe meis.
Ad quid enim faciles ſedent mihi, quum bene norint
 Ipſorum poſſe te ſubiiſſe vicem,
O mere Sol Aganippei iugi Adolphe, madere
 Cui Graio Vranie dia lepore dedit:
Cuiq; trias Charitum, vitrea pellucida veſte
 It comes, itq; comes ingenioſus Amor.
Cuique ſuas reſerauit opes Tritonia, & vltrò
 Iuſtior in ſe ius tradidit omne Dea.
O ſi nunc me vel tantillum baccare purges,
 Et ponas noſtro maſculum in ore ſonum!
Quali te canerem tuba Adolphe! ac qualia de te
 Efferrem Atlantis vltima ad vſque vada!
Non putris te dente Æui, aſpergine Lethes,
 Facta ſoporari nec ſinerem vlla tua.
Dicerem at, vt fultus cor inuicto chalybe, omnes
 Inſidias hoſtis viceris atque minas.
Impoſitiſq; Deam pedibus calcaueris, infert
 Quæ bona multa malis, quæ mala multa bonis.

Dicerem



Hà, quæ digna ſibi tibi tunc monumenta relinquunt!
 Hà quot tunc reſerant ſcrinia! quotque libros!
Hà, quàm ſæpe abh umo ſuper aſtrata atria cæli,
 A'ite Cycnorum tolleris auxilio.
Calliopéſq; manu deductus ad orgia vbi altè
 Secubat in claro Mnemoſyne alma thoro,
Mille animã igniculis validè inſtruis, entheaq; audax
 Formoſis acuis lumina imaginibus.
Interea, effigies tua ſummâ ponitur arce,
 Mæonidæ vlterius Virgiliiq; caput.
Ipſáq; gemmanti pellucida veſte iuuenta
 Luxurianti tibi nectare labra rigat:
Vnguinibusq; linit præcordia, tempore quæ omni
 Inuidiæ introitum Cordolioq; negent.
At pars Theſpiadum fuſæ propè lene-ſonantis
 Riuulum aquæ, vario flore replent calathos.
Pars verò è myrthi f lijs laurúſque virore,
 Serta tuæ texunt ambitioſa comæ.
Quarum vna: ô Superûm terræq; animoſa voluptas,
 Salue ait: & noſtris macte, Patrone, ſacris.
Nec tibi ſit cupere Arrabiæ melioris arenas,
 Tinctáq; Sidoniis vellera muricibus:
Faſcibus aut Dominæ inhiare potentibus Vrbis:
 Pendere aut pingui plebis ab arbitrio.
Quippe, coronatus Phœbi ſtrophio atq; Monetæ,
 (Quod nunc ex meritis nunc tibi vterq; dicat)
Solis ab occaſu Dictator Solis ab ortu
 Humano poſthac iam generi vnus eris.
Seu volup in dubiis actutum promere rebus
 Verba Sibyllino vera magis folio:
Siue volup melicæ ſua dicere iura coborti,
 Et paſſim leges condere perpetuas.

Sic illa adnutu firmarunt ſingula Muſæ,
Et tremuit motis laurea verticibus.
Deſuper ac Violis grauidos, ſpolioq; Roſarum
Lætior inuertens Calliopea ſinus,
Vt faciant quoq; idem, reliquas ſtimulat, iucundo
Germine fœcundas quæ retulere manus.
Moxq; iubens niueos te Fama aſcendere currus,
Queis comes à latere hinc Gloria it, inde Saïs,
Vocalis clangore tubæ geminum imbuit axem
Nominis excelſa nobilitate tui.
Dúmq; tonat longè, reſponſant Nerïdum amnes,
Vox redit áq; antris, vox redit áq; iugis.
Verſus & in plauſum triplex populi ordo, ſecundis
Te, Iane, inſequitur iugiter ominibus.
Ipſe ego at exiliens ad plauſi murmura totus,
Mandaui inciſis omnia corticibus.

---

## AD IOANNEM ESYCHIVM.

### ELEGIA IX.

MAgne virûm, morúmq; Latinorū, Eſychi, amator;
Cui benè Mercurius, cui Claria aura fauet.
Deſine blanditias acri me poſcere voce,
Inq; Caballinis carmina lauta vadis.
Ingenium omne dolor nobis ſubduxit, & æſtus
Ille poëtificus nil niſi ninguida hyemps.
Iam tantùm ex oculis lacrimarum depluit imber,
Curáq; pallentem circat vtrinque genam.
Inter & auſteros gemitus, crudáſq; querelas
Deuoueo, heu, vitæ fortia fila meæ.
Hà, quid ita ignauo verſatis pollice fuſum,
Quid ve ita veſtræ acies forficis, ô Deæ, hebet?
Debueram



Et manuum flictu, ſingultatóq; tenore,
Millia Natorum tot data, flere, neci?
Eheu! nonne ſatis, Proceres, æquaſtis iniqua
Nobilium magnis arua cadaueribus?
Nonne ſatis fluuij humano fluxere cruore?
Proxima naufragiis ac tumuere freta?
Crudelem ô verè, tragicáq; agitatum ab Erinny,
Sceptra putat, Pacis qui potiora bonis.
Quàm foret hà ſatius poſitis ciuilibus armis,
Perpetua antiquâ fœdera inire fide!
Vnanimiſq; adniti animis, homicida vt Enyo
Exulet antro obſcuri interiore Erebi.
Deſertóq; Iouis latere, Aſtrea haud ſuam habere
Veſtra iterum dubitet in regione domum.
Tunc mihi, tunc certè viuendum erat, inclyta tuncq;
Franciæ erant propero regna adeunda pede.
Tunc & ego egregiam Aurati debebā animam, arcto
Complexu in longam detinuiſſe moram.
Qui nunc Fliſſingæ male-ſanus in oppido, acutam
Deploro noſtri ſeculi amaritiem.
Vixq; meæ hæc mutæ committo verba papyro,
Heu deſiderij verba mei indicia!
O quod non reliquis ſua quum ſint pharmaca morbis,
Tollitur & medica vulnus Amoris ope,
Optati ſola, ah, præſentia ſanat amantem,
Atq; priore iecur anxietate leuat.
Quum tamen, & nullo calcata prius ſolo oberrent
Luſtra Animi, ac ſeſe per pelagi ima ferant:
Obſtanteiſq; altè montes, & ahenea clauſtra
Non animaduerſis clam penetrent gradibus.
His igitur quoque, Gramigena nolente, licebit
Eſſe ſimul, modò tu nos ſimul eſſe voles.

Sitq́ tibi cordi Cor quod virtutibus vſque
Deuotum eſt meritò, Iane, lubenſq́ tuis.
Verùm, Aurate, Voles. nec enim te mater Amorum
Fruſtrà habuit quondam pendulum ab vberibus.
Nec fruſtrà roſeis fouit bene-paruulum in vlnis,
Pauit & ambroſia Gratia terna dape.
De me, ſic equidem res eſt. tua nomina, Iane,
Obſerat in noſtro candida corde Fides.
Vlla nec Oceano radiatum lux caput effert,
Pallida nec dubiam lampada Luna quatit,
Ante meos clarè quin obuerſeris ocellos,
Subque mihi viuat pectore imago tua.
Et prius ima polum excipient templa Amphitrites,
Deſerat atque ferax denſior vmbra nemus:
Quàm faculam imbellem mihi ventilet ille medullis,
Qui pius ingenuæ præſes amicitiæ eſt.
Hoc vt non ego pectus amem, quod Candor amœnus,
Vectáq́ Simplicitas oſcine olore colit?
Hoc vt non ego pectus amem, quod Prouida virtus,
Virgóq́ deiurat eſſe Patrima ſuum?
Nam quid vim enumerem generoſam Doctrinarum?
Qua tibi habes toto neminem in Orbe parem?
Per te Barbariæ infames periere manipli.
Ipſa ſubire tuum moxq́ coacta iugum eſt.
Per te Heliconiades ereptæ Ergaſtulo Achiuûm,
Trans monteis iterum transfretáq́ alta volant.
Nuncq́ modò ad populũ hunc, modò nũc diuertere ad illũ
Aſſueſcunt raris cum modulaminibus.
Ante tamen reliquos curæ ipſis Celticus orbis:
Tu quoniam ſedem, Iane, ibi perpetim habes.
Hà, quàm tunc omnes rident tibi lumine blando,
Et furiatum agili cor agitant rabie!

Hà.



Quiſnam Antiqua Patrum indagat ſtudioſius acta,
Siue vocet Latium, Græcia ſiue vocet?
Quis rutæ comptus ſtrophio viridante capillos,
Se Sophiæ propius inſinuat domibus?
At neque Calliopes te ſegnius afficit æſtrum,
Rarior aut Phœbi eſt ad penetrale via.
Hocq́ negare tuæ illa negat pellacia linguæ
Quæ ſaxis animam infundit & arboribus.
Parua ſed hæc. maius, Iuſtæ ſacraria Diuæ
Nullo non momento intrepidè terere.
Pellicéq́ indomito rapere inde ſuperba metalla,
Quæ doceant vni reddere cuiq́ ſuum.
Quæ doceant per quas Pax conſeruanda ſit arteis,
Et Martis per quas ſanguinea ira cadat.
Quæ doceant alia atq́ alia, ignotiſſima vulgo,
Ac capienda hominum vix benè ab ingeniis.
Sed quid & hæc tibi in os? potiùs quin frõde reuinctus
Altum Altare ſacræ ſuſcito Amicitiæ?
Illam & non ſolito lucem cano honore, ſi niſtra
Qua tibi amor meus eſt conciliatus aue?
Sanè, perfidiæ me iure reum, vndiq́ claris
Veſte Fides niueâ deleat è Tabulis:
Muſæaſq́ inter medio noter vngue coborteis
Exigat è Cyprio méq́ Cupido choro:
Si non, chara dies, celebrem te ego habebo quotannis,
Sit quanquam ad gelidos vita Boryſthenidas:
Et, ſi non inſcalptus, Harixma adamante rigenti,
Perpetuò es fibris ſedem habiture meis,
Siue frui Diæ ſit opimo munere lucis,
Seu labra Letheis mergere fluminibus.
Sinceri nec enim veniunt obliuia amoris
Mortuo: at & Fati traiicit ille vada.

D ii.

Euentura loquor. pennâ audio plaudere Olores
  Cyprigenæ, atq; hilari vice iterare melos.

---

## AD IANVM AVRATVM.

### ELEGIA IIX.

SI mihi nunc humeris aptaret Dædalus alas,
  Triptolemi eueherer vel per inane rotis:
Non ego me propius Solis ferrem ignibus effrons,
  Nec Cereris ſererem dona per omne ſolum:
Sed loca mox peterem nunquam-ceſſante volatu,
  Sequana honoratis quæ rigat acer aquis.
Heîc vbi fœta Deo tot pectora Apolline, onuſta
  Græcorum Spolio, Romuli & vrbis, eunt.
Cinctéq; cæſariem Aonia Peneïde, eburno
  Aurate ô, princeps in ſolio altus ouas.
Téq; hominum infinita manus pro Muſico adorat
  Numine, Dictatis paret & æqua tuis.
O quàm ego hiante vorarem oculo tot lumina docta!
  O quàm nunquam eſſem, te aſpicere vſq;, ſatur!
Pectore at exultans toto me, Aurate, beatum
  Clamarem, cui fas tanta videre bona.
Nunc, quid ago? ſacros nec ius frenare Dracones:
  Deſtituórq; tuo, Dædale, remigio.
Plurimáq; interno metuenda pericula ab hoſte,
  Me probibent terra carpere, & æquore iter.
Quin quoque, Mauortis vis effera fertur ad oras
  Nunc veſtras iterum fortibus ire in equis.
Excitóq; grege Eumenidum de gurgite Auerni
  Triſtia terribili bella tonare tuba.
Eheu! nonne ſatis ferro flammis-q; datum? eheu!
  Gallia, adhuc nondum ſoluere laſſa comam eſt?

Et



Dicerem & vt per te ſteterit reuerentia legum,
  Flandrica gens quamdiu Præſide te vſa fuit.
Dicerem & vt memor antiquæ Pietatis, honorem
  Præſtiteris Fidei Fœderibusq; ſuum.
Dicerem & vt, faſtus ſemper contemptor inanis,
  Nunquam alios præ te duxeris eſſe rudes.
Hinc tibi ſum ille habitus, quẽ, Dignũ laude, ſu[pe]rbo
  Tolleret in cælum Douſica Muſa mele.
Prodigus ô nimium in præconia noſtra Mekerche!
  Nordvicis merear ipſius vt ore cani?
Ipſius vt ore cani merear, præſtantius vllum
  Belgica quo nec habet, Gallia quo nec habet?
Quanquam illi faſceis ſubmittat Teutonis ora:
  Hæc quanquam ſpolio Romulidum vrbis ouet.
Quidnam optare queam maius ſi Lipſius eſſem?
  Quidnam optare magis, ſi tuam habere animam?
Magnã anima: vlterius quæ ſæpe Amathuſidos axem
  Pennato euehitur intemerata gradu:
Indeq; mille capace ſinu miracula rerum
  Tollit, ab humanis libera nequitiis.
Falleris ô hominum indulgentiſſime. non ſum
  Sufficiat qui altis materiem ingeniis.
Sat mihi ſit pingui populo eripi, & abluere auio
  Incomptum Cyrrhæ flumine cæſariem.
Sat mihi ſit ſanctum Aſtreæ penetrale tueri
  Eminus, & foribus oſcula pura dare.
Carum habeamq; auro contrà, ſi promere fas ſit
  Quæ tua ridenti lumine lima probet:
Quæque probet Lipſij certans ebori atq; argento
  Vena, nec a Douſæ ſint quæ aliena ſacris.
Sic eſt. dum vobis, placuiſſe tribus valeam, omnes
  Extrà legitimum ſtent alij numerum.

D

*Ecquid enim mihi ſit cenſura illorum in honore,*
*Queis cenſura haud eſt veſtrum in honore trium?*

## AD ERNESTVM HARIXMAM DE SLOTEN. ELEGIA VII.

*ECce iterum emeritam pulſare iuuat chelym, & vltrò*
*Eruere è turpi ſordida fila ſitu.*
*Sic quia, Harixma, iubes. cui quid mea Muſa negare?*
*Quidve negare meus ſit pote grandis amor?*
*Ipſe quidem ipſe, dies ne nubila tota eat, & ne*
*Calce Deæ vſque premar, ſtantis in orbe, facis.*
*Nam bona eorum pars, mage queis dilectus ocellis,*
*Quiq; mihi cari lumine vtroque mage.*
*Aut ierant patriam peregrino quærere in orbe,*
*Iurata aut dederant fœdera ferre Notis.*
*Ménsq; animi hinc vario externata atq; inde dolore,*
*Aſſiduè in planctu tota erat & lacrimis.*
*Quum tu, Erneſte venis, ſtabulas me & claſſe in eorum*
*Nunquam mortali quos probè amore colis:*
*Mellea voxq; mihi (eſſe ſolet qualis Dei) ad aureis*
*Accidit, atq; inquit: hic tibi Amicus erit,*
*Ex meritò multis vt ſit pro millibus vnus,*
*Qui te quiq; ſuam deſeruere fidem.*
*Quid tibi cum numero? lapidũ nonne vnica aceruos*
*Vincit Erythræis gemma reuulſa vadis?*
*O benè. ſeu Dea, ſiue Deus, per conſilia ire*
*Stat tua, & hunc deinceps Fratris amare loco.*
*Nunc nec enim primo ſcio quàm mereatur haberi*
*Inter eos dio quos quoque amore colo.*
*Namq;, Erneſte, tibi vt taceam ter nobile cordis*
*Effigiatum adytum de meliore luto:*

Quiſnam



*Cernere ne ſit tolli ipſis à fundamentis,*
*Conſpicuas Vrbeis vomere fulmineo.*
*Et fieri horribileis iactus de rupe deorſum:*
*Inq; parentum infantes laniari vtero.*
*Inde viri ante oculos nuptam fœda omnia ferre, vtq;*
*Omnia fœda tulit, enſe fero cadere.*
*Ante aliâ, lixarum infami à gente, pudoris*
*Vexari intactas Virginei exuuias.*
*O dolor! ô gemitus! an quis de ſtirpe Leænæ*
*Tanta queat ſiccis monſtra genis ſpecere!*
*Viderit hoc alius. mihi ſanè non ſecus inde*
*Cordolium ſit, quàm ſi mea priua forent.*
*Heu, quid ego tanto terrarum diuidor à te*
*Tractu, Abrahame, tuum cernere nec caput eſt.*
*Dulce caput, cuius mihi amor ſic creſcit in horas,*
*Vt flamma exanguem viuida per paleam:*
*Quæ, non multùm vbi humi ſerpſit, præclara per auras*
*Fertur, & extremo verberat aſtra apice.*
*Hic, ego ſolus eo: vixq; eſt præſto vnus & alter*
*Cum quo partiri fata mea atra queam.*
*Nam Fortunæ ô mancipia, pars maior eorum*
*Iurabant qui me ferre ſinu atq; oculis,*
*Aut aliò externas iuere inuiſere gentes,*
*Aut fregere piæ teſſeram amicitiæ.*
*Diſpereat quicunque ſolum natale reliquit*
*Primus, vbi incepit obſidione premi.*
*Et ſileant inter Mauortia murmura Muſæ:*
*Eſt ibi amicorum copia magna tamen.*
*Atq; Heliconiadum vice, vox mellita Parentum,*
*Ac cognatorum fauſta ſodalitia.*
*Et quis ego? nunquam, ah, labra Suada liquore rigauit,*
*Primitus vt tetigi nudus & vdus humum.*

*Nullaq; Apolineis riſit ſacra odoribus vmbra,*
*Dum cupio inuiſos fontium adire lacus.*
*Me radio obtuſo limat Saturnia ſtella, ac*
*Fila neunt vitæ Parcæ inamœna meæ.*
*Siq; lubet propiùs Muſarum altare tueri*
*urcillis præceps protinus eiicior.*
*Satq; ſuperq; fuit, poſſe ima in valle, ſolutis*
*Debile, neſcio quid, ludere arundinibus.*
*Non equidem Panos ſub acuto iudicio, inq;*
*Errantum cœtu florco Hamadryadum:*
*Indoctas verùm inter ouéſq; bouéſq; caterua*
*Ranarum reſpondente meis numeris.*
*Fruſtrà igitur, melicæ cauſatus damna cohortis,*
*Deſerui patrium calce fugace Larem.*
*Ergò etiam meritò curarum in perpetuo æſtu,*
*Tempora noctis ago, tempora lucis ago.*
*Quod ſi, diuiſus iam non tot millibus à te,*
*Cum reliquis voluiſſem omnia acerba pati,*
*Tu ſolatiolum & luctus meta vna fuiſſes,*
*Iuuiſſetq; mei participem eſſe mali.*
*Déque tuis quererere malis, quererere meiſque*
*Eq; meis gemeres cladibus, eq; tuis.*
*Mox, vbi de ſtudiis raptim eſſet vtérq; locutus,*
*Libantes doctis munera Virginibus,*
*Nunc Iani ad medium nunc per vicóſq; forumq;,*
*Nunc per denſa altis mœnia ab arboribus,*
*Iremus iuncti, nec nos pallere colores*
*Cogeret omnimodos hoſtica tanta rara.*
*Nuncq; viros modò adiremus, tua quos mihi lingua*
*Felici nuper conciliarat aue.*
*Non ſemel & ſine te longos ſoles iugularem*
*Cum tam icundi parte ſodalitij.*

*Atq;*



*Heroiſq; propè Andini viuacia ſigna*
*Auratam ſtatuam conſtituere tibi.*
*Magnáq; ſolenni erexere Altaria ritu,*
*Tempore queis nullo thúſve merúmve deeſt*
*Suppliciòq; tuum non ficto Numen adorant,*
*Oréq; grande melos ſemper ouante canunt.*
*Et Seruatorem indigitant non vnius olim*
*Mantua quo ſeſe tollit ad aſtra, Dei.*
*Sed Seruatorem quotquot regio Attica vatum,*
*Sed vatum quotquot terra Latina tulit.*
*Túmq; canunt, Germanum amnes, ſiluæq; frequentes,*
*Antráque Germanum, montium & ardua hiant:*
*Ipſáque Germanum cæli Echo ad cærula mittit.*
*Fallor? an ad ſtrepitum cor ſalit omne mihi?*

---

## AD ABRAHAMVM ORTELIVM.

### ELEGIA II.

*Virginis Orteli, iuſtiſſima cura Patrimæ:*
*Idémq; Vranies nobile delitium.*
*Quæ legis Hagana veniunt tibi carmina ab arce,*
*Cui nemus à latere hinc, à latere inde mare eſt.*
*Hic me maſcula adhuc rotat inclementia Fati,*
*Tam procul à ſociis, tam procul à patria.*
*Mensq; agitata velut ratis in mare, quod ſibi habere*
*Hippotadæ certat quilibet è famulis,*
*Spargere acetoſum renuit per membra vigorem,*
*Exuccisq; negat officium articulis.*
*Ilmq; oblita ſui cantus, vocem edere non quit*
*Purgatæ faciat quæ ſatis auriculæ.*
*Tantùm fertur in acceſſa ad teſqua, ac tuam ibi altè*
*Belgica deplorat ſortis amaritiem.*

*Iampridem ô mere flos regionum Belgica, quotquot*
*Sol moriente videt aut oriente die.*
*Nunc, virûm acerba cinis virtutúmq; omniũ, iniquis*
*Quæ tibi, túq; cui, ponderibus grauis es.*
*Hà patria infelix! quæ te inuidia iráq; Olympi,*
*Inſequitur tantis totq; cruenta modis?*
*Carceribus nigri Cocyti egreſſa recluſis,*
*Perſephone Lethum præ ſe agitatq; Metum.*
*Quorum hic talẽ animis hominũ facit eſſe tremorem,*
*In quaſsis vento qualis arundinibus.*
*Illud, luxuriante volantis acumine falcis*
*A prima totos ſtirpe metit populos.*
*Nec ſat ad excidium hoc. laceratis aſt ſibi vt ortum*
*Exſculpit matris Vipera viſceribus:*
*Sic animæ ſuccum ſciſſura domeſtica carptim, imò*
*Ipſam animam tibi edit mille puerperiis.*
*Interea ſine ſudore vllo aut ſanguine, figit*
*Externus ſtabileis hoſtis vbiq; gradus.*
*Diſtrictoq; ferox mucrone, ſolúmq; ſalúmque*
*Inficit ac tegit impunè cadaueribus.*
*Dúmq; (abolente caſas villarum funditus igne)*
*Armenta atq; agri depopulatur opes:*
*Palatim fugiunt pannis grauidè obſiti & annis*
*Ruricolæ, verâ mortis in effigie.*
*Quos mox inſectatus Eques, tranſuerberat haſtis,*
*Totum & eis donat æthera pro tumulo.*
*Fortunatæ animæ! iam ſpe vacuæ atq; timore*
*Ducitis Elyſiis otia longa iugis.*
*Nos, ſperando bona omnia & omnia ſcæua timendo,*
*Liquimur interea ſal quaſi tactum ab aqua.*
*Atq; vtinam porrò contabeſcamus, eatq;*
*Triſtior in ventos ſpiritus aërios.*

Cernere



# ANI GRVTERI
## ELEGIARVM
## LIBER TERTIVS.

### D GERMANVM VALENTEM PIMPONTIVM. ELEGIA I.

*PImponti, quem non minus omnis Gallia, quàm Rex,*
*Illéq; Doctorum cœtus honorus amat.*
*Tam bonus vnde tibi iſte repente vltrò impetus auxit,*
*Defenſum vt ſacri eas grande Maronis epos?*
*utúmq; toga ſplendente, comamq; reuinctum*
*Fronde, tulit Phœbus quem capite ante ſuo:*
*maieſtatis iura ipſum debita priſcæ*
*Reſtituas, orbis, desq; fauore frui?*
*generoſe Valens. hac pro pietate rependi,*
*Nil dignum ex vlla parte aliquando poteſt.*
*m tibi non tantùm validè æternùm offisio iſto*
*Demeruiſti animum Virgilij, atq; Deos,*
*ùm quantũ hominum tenet vſquã Dædala tellus,*
*Elyſia & quantum iugera Manium habent.*
*ncq; etiam meritò quoq; nunc tibi quernea fertur*
*Ritè Heliconiadum plexa corona manu.*
*ſq; nexilibus Clio tua colla lacertis*
*More hederæ hac atq; hac ambitioſa ligat.*
*bra columbatim committit & oſcula linguæ:*
*Oſcula quæ poſſent inuidiæ eſſe Ioui.*

Oſcula quæ haud aliter quã Helenes herba inclita peſſum
Dent, hominem quicquid non hilarum eſſe ſinit.
Oſcula quæ haud aliter quàm potio dia Iuuentæ,
A ſenio ſolui corpora caſca vetent.
At poſito Charites velamine, grex Leporum
Fauſta tibi infanti carmina voce canunt.
Has præit, applaudens itidem blandi omine labri
Et pæti læto luminis igne Venus.
Quam circum Iocus, atque examen amabile Amorum,
Subtilibusq; volat Flora decora Roſis.
Certatimq; tua illa, Valens, placida ora tuentur,
Ac vernis grauidant floribus omne ſolum.
Parte aliâ, labro Equino, Heliconéq; monte relictis,
Latonæ intonſo vertice natus adeſt.
Vndiq; & auratam donat tibi Barbitum habere,
Teſtudo cedat cui melica illa Lini:
Cuiq; fides cedat Thracis mirabilis Orphei,
Atq; Amphioneæ neruia rara lyræ.
Hocq; tua illa probẽt, Germane, meliſmata, quæ altũ,
Semper, neſcio quid, ſupra hominemq; ſonant.
Queisq; lubens ideo quoque præterita inuidet ætas,
Hæcq; canit præſens, poſtera at illa colet.
Imò etiam præſens trans Oceani ultima clauſtra,
Nam tuus vt crocinâ veſte iit auctus Honos:
Omnium ità in ſe mox traxit mortalium amorem,
Atque pium, ſancta relligione metum:
Vt, veluti actutùm cæli arcubus vndiq; migrant
Sidera, quum Solis ſe exeruere faces:
Sic quoq; nemo ſuos tibi non ſubmittat honores,
Palmæ vbi victricis præmia iure petis.
Iamque locis cunctis laudum monumenta tuarum
Doctorum ponit officioſus amor.



…ueram dudum ſentinæ onus eſſe Charontis,
Ac patriæ inſtanti non ſupereſſe neci.
…patriæ ô ingens Regina modò Vrbium, ab alto
Sol moriens quotquot exorienſque videt.
…patria, ô quondam doctis domus hoſpita Muſis,
Queis comites, Peitho, transq; marina Venus,
…ónam iram, quónam inuidiam cæli ſcelere in te
Mouiſti, vt tantis tot, caderéſq; modis?
…quam heu, exilij tibi ſpecula nulla ſuperſtes,
Nulláve conſilij gutta parata boni eſt.
…ini ij, debebant tua qui defendere damna,
Aut rident duci te ad laqueum atque lacum:
…t nimium nimiúmq; æſtu faſtúq; valentes,
Incidunt neruos vndiq; & vſq; tibi.
…uriet ergo illas rabies Vulcania turreis
Culmini Olympiaco quæ capita æqua ferunt?
…go cinis fumusq;, opera illa illuſtria fient,
Ad quorum nomen Orbis vterq; tremit.
Diui! infantum ſqualebunt ſaxa cerebris?
Fœtus & ex vtero matrum erit eſca canis?
…rgineiq; pudoris opes ante ora paterna,
Lixarum eripiet ter maculoſa phalanx?
…u, quos, Scaldi, virûmq; Ducûmq; rotabis aceruos,
Sub ſpiſsis caro ſanguine vorticibus!
…mocuûm heu, quanta ſanie arua propinqua fluetis,
Queis dabit hoſtis atrox pro tumulo omne ſolum.
…potiùs quàm ſit mihi talia monſtra tueri,
Viuus inhumanum trans Acherunta natem.
…periarque illic ſæui genus omne furoris,
Experiárq; illic cordolij omne genus.
…, verè inuideo vobis, queis vulnere pulcro
…te oculos Patriæ eſt occubuiſſe datum!

*Felices nimirum animæ, dum ſenſibus orbæ*
*Paſſæ eſtis Superûm Numina ſæua ſemel.*
*At nos ſpes variè ambiguæ, ambiguiq́ timores,*
*Auctáq́ diſcutiant funera funeribus.*
*Nec minus interea heu, vigor interit ille iuuentæ,*
*Dum malè in exiliis omnium egenus ago.*
*Quid nunc, quid iuuat heu, toties feciſſe Tonanti,*
*Ac patrios horna meſſe beaſſe Lareis?*
*Non vt barbaricus mihi penderet lapis aure,*
*Arca flagellaret noſtráve Principum opes.*
*Sed magis vt poſſem pingui procul à populo, inter*
*Rure ſuburbano degere Hamadryades.*
*Et qùandoque ſodalitij cum gente diſerta,*
*De ſtudiis, rebus de variisq́ loqui.*
*O quàm ego tūc tecum ſæpe, Elychi, auiti agri in herba*
*Fregiſſem æſtiuos verſicolore dies!*
*Quàm ſæpe ô florum laſciuia verna virentum,*
*Dulcia quàm ſæpe ô murmura ludiæ aquæ,*
*Ad ſe attraxiſſent vtriuſq́ oculosq́ pedesq́, ac*
*Omne coëgiſſent ponere mentis onus.*
*Hà, quàm illic modò ego denſæ ſub tegmine fagi*
*Ad me inuitaſſem carmine non rudi Aues.*
*Hà quàm illic modò tu ſub fornice laureo, acuta*
*Voce allexiſſes Panaq́ agriq́ Deos.*
*Hà quā ibi nos! ſed quorſum hæc nunc proferre? dolorū*
*Heu, mihi ſat, licet bis non duplicetur, erit.*
*Ergo, Iane, vale, abq́ illis pete carmina queis mens*
*Curarum nullo pondere preſſa iacet.*
*Et ſine me, nimium cui Parca eſt ſurda precanti,*
*Hinc lacrimarum vndis, inde dolore mori.*

IANI



*At quā hoc me quoq́ habet malè, quod tibi dum vltimùm*
*Orteli, adq́ manus otia larga forent, (adeſſem*
*Non etiam illius tunc me illatebrauerim amori,*
*Per quem Dauides it Latiâ in togula:*
*Viuiniano, inquam. cui Clious ſi haud fauet ardor,*
*Rarior aut ad Phœbea adyta eſt aditus:*
*Næ malè mî impoſuit Lipſij cenſura, diſerto*
*Illum affirmauit qui Archilochi ore loqui.*
*Sed quid? quod tunc neglectum, melior dabit olim*
*Lucifer, atque ipſi fors quoque charus ero.*
*Si modò, ſi in numerum cupidus cenſere ſuorum*
*Quos penes antiqua eſt relligio atq́ fides.*
*Nam promittere quid de me non amplius auſim:*
*(Sit ſatis antiqua, ah, relligio atq́ fides)*
*Præcipuè hoc rerum articulo, quo nulla vaciua*
*Singultu mihi ſunt aut lacrimis ſpatia.*
*Dúmq́ intercludit voces malè, qui propè noſtris*
*Diſtrictus pendet mucro ſuper iugulis,*
*Oſtellæ! ô tellus! ô Nerei liuida regna!*
*O Dea Pandoræ pixidis ima fouens,*
*Quando erit illa dies, quando illud amicius aſtrum,*
*Ad nos quum referet vita atauita pedes?*
*Roboribusq́ Orci claudentur cum nigra Erynni,*
*Bellonæ immitis cruda ſatellitia?*
*Et patriæ tandem ſeſe optatiſſima ſiſtet*
*Candidiore oleæ Pax folio aucta comas?*
*Oſtellæ, ô tellus, ô Nerei liuida regna,*
*Quando erit illa dies? quando erit illa dies?*

E

## AD MATTHAEVM VVESENBECIVM.

### ELEGIA III.

QVid iuuat heu, toties nidore beaſſe bidentum,
Et cumulaſſe auidos thure meróque Deos?
Non vt Erythreis radiaret dextra lapillis,
Penderétque cauis vnio ab auriculis.
Virgineæ nec vt immiſtus conuiua coronæ,
Ore patefacerem pluria labra meo.
Sed magis vt poſſem Sociorum cum grege lecto
Otia Muſarum liberiora ſequi.
Et procul à populis tunicatis, rure paterno
Exigere ætatis ver iuuenile meæ.
O quàm ibi iuuiſſet non magna habitare me in æde,
Paſtores inter, agricolasque nurus!
Et modò propter aquæ riuum recubare fluentis
Tinnula dum alituum guttura dulce canunt:
Et modò frondenti tacitè requieſcere in antro,
Aſſus vbi radijs Sol viridem vrit humum.
Quàm ſæpe ô ſummo ad maculoſaque crepuſcula mane
Paruula luſiſſet carmen arundo mihi?
Paruula arundo quidem: donum ſed amabile Panos,
Tunc Scaldi affineis cùm peragraret agros:
Vnicum & è pueris me aſpexit lumine blando,
Hocque mei, dixit, pignus amoris habe:
Læuáque agreſti inſignitus tempora pinu,
De me, de Satyris, multa diúque boa.
Hà, Pan, Pan, quàm nūc tuo ego malè munere abutor!
Ille canendi ignis quàm in cinerem omnis abit!
Ecce ſitu grauida ex ſterili ſuſpenditur alno
Fiſtula, eam & circum ludit araneæ opus.

Cæleſti



[Cæ]leſti nam ex quo placuit choreæ vndique peſſum
Exanguis Patriæ fortia ſceptra dare:
[Pul]ſus ego exilio mulctatus & omnium egenus
Rerum, in ſecreta deliteo vſque domo.
[Su]fficit & triſti mecum mala multa queri ore,
Celſáque non ſanis aſtra ferire tonis.
[Qu]aliter ad ſtātem quondā Orpheus Strymona fertur
Ploraſſe vxoris fata iterata ſuæ.
[Ne]quicuinam vſque adeo pectus ſeptum eſt adamante,
Vt poſsit frictis eſſe loquax ſalibus,
[Cu]m ſciat ex imis verti oppida fundamentis?
Oppida, geſtabant quæ capita æqua polo.
[Cu]m ſciat oſtrina fluuios decurrere Lympha,
Atque hominum arua tegi lata cadaueribus.
[Cu]m ſciat illuſtreis facie titulisque puellas,
Stupra pati in medio, matre vidente, foro.
[O] dolor! ô lacrimæ! nequeo cohibere manum, æreus
Effluat exuccis quin ſtylus è digitis.
[T]u tamen ipſe boni vultu VVeſebeci hilaro adfers
Quiddam. ſed tibi quis auſit habere fidem?
[Ex]tremo. tute etiam treme, Ciuis amice: & acerbo
Fletu, age, amaritiæ te ſocium adde meæ.
[Na]m fruſtra es ſi vllam incipias ſperare ſalutem.
Ah, dudum eſt, quò etiam depoſita ipſa Salus.
[T]unc, ah, tunc omnes à ſtirpe periuimus, ipſa
Pignora quum matri bella tulere palam:
[V]iperæ & inſtar, acutorum generoſa parentis
Viſcera ruperunt dentium acuminibus.
[O] dolor! ô gemitus! nunquam ergo, Belgica, te te,
Liberam ab interno Marte tuebor ego?
[N]unquam ego te Europæ melioribus vrbibus, aureo
Aſpiciam poſthac iura dare è ſolio?

E ij

*Nunquam ego te aſpiciam ſubmiſsis faſcibus vltrò,*
*India ab extrema, Sarmatum & orbe coli?*
*Ergo mori iuuet, à ſeclis ne fortè futuris*
*Te dicar viuax ipſe fuiſſe magis.*
*Impius, hà, ter ſit qui non Acheruſia ſtagna*
*Transvehi amat, Patriæ quàm ſupereſſe ſuæ.*
*Quod mihi ſi forſan vitæ fatalia fila*
*Frangere netricis dextera nolit anus:*
*Ire per immaneis populos libet, ire per æquor*
*Plurima multiplici monſtra vbi gutture hiant.*
*Forſitan è multis, noſtri miſerabitur vnum:*
*Mille dabitq; vna euadere morte neces.*
*Lucinâ ô certè multo illa beatior horâ*
*Mille dabit quæ vna euadere morte neces.*
*Interea mihi viue diu, mihi viue ſuaue,*
*Externa ante tuos in regione Lareis:*
*Arbiter ô Themidos Latialis non minor, olim*
*Quàm vel cum Paulo Scæuola & Æmilius.*
*Et velut Argolicas Helice hinc igne vbere puppeis,*
*Sidoniasq; velut hinc Cynoſura regit:*
*Sic præſer: Legum per grande natantibus æquor,*
*Multifidam Belgis Teutonicisq; facem.*

---

## AD HOMERVM AB HARIXMA DE SLOTEN. ELEGIA IV.

*SIc ala meliore receſsibus inferar, acrem*
*Tangere vbi claro lumine Iuſtitiam,*
*Sic comite Vranie penetrem bifidi ardua montis,*
*Compeſcamq; ſitim Bellerophontide aqua.*
*Vt mihi iam pridem melius nihil accidit, almæ*
*Quàm tecum aurea agi ſub iuga Amicitiæ,*

O mere



*O mere, Homere, ſmaragde Aſtrææ Virginis, idem*
*Curaq; Patrimæ ſeria, amorq; meæ*
*Colligo enim hinc, nulli Parcas amicire ita fuſum, vt*
*Non internitеant candida fila nigris.*
*Iam benè vix Patriæ primo pede mœnia inibam,*
*A puero nunquam mœnia culta mihi.*
*Quum dedit è celſa ſpeculâ horrida buccina ſignum,*
*Dixit &, hoſtileis non procul eſſe globos:*
*Ignibus ac campos nemoroſaq; fulgere teſqua,*
*Atq; quiritari ruſticam vbique manum.*
*Dixerat. ilicet, arma fremit, fremit arma anima omnis*
*Tympanaq; aſsiduè ad arma, & ad arma vocant.*
*Tympana ad arma vocāt: fremit arma, arma, arma, ani*
*Nec tamen è porta vir iuuenis veruit. (ma omnis.*
*Sed, tanquam ſat ſit geminare arma arma frequenter,*
*Ac verbis hoſti grandibus eſſe ferum:*
*Per fora, perq; vias denſe gradiuntur in armis,*
*Mars & adeſt cunctis linguæ in acuminibus.*
*Interea, ſine ſudore vllo aut ſanguine, Iberus*
*Caſtra ſuper ripas Scaldis vtrinq; locat.*
*Aggerem & ocyus omnem munit milite, poſſet*
*Qui ſciſſus latum immittere in arua mare.*
*Omnia ego quæ aſpiciens, quanquā ceruina mî abeſſet*
*Cordaq;, & exucco mens liquefacta metu:*
*Non tamen, infantum potui lamenta tueri,*
*Hincq; puellareis, indeq; diuidias.*
*Nocte ſed illuni per caſtra Hiſpanica cautim*
*Carpo iter, & Batauos aduolo rurſum ad agros.*
*Aduolo rurſum ad agros Batauos. mihi at ærumnarum*
*Heîc quoque ſuccreuit de ſubitò ampla ſeges.*
*Nam quos luminibus propriaq; anima mage amabam,*
*Aut peregrina ierant currere per maria:*

*Aut malè vexati morbis furialibus, ægram*
*Ducebant ſpiſſo vix animam è latere.*
*Quid tum, quid facerem, præter plorare & acerbis*
*Incuſare Deûm Numina carminibus?*
*Quæ nullam ſinerent candenti ſurgere lucem*
*Sole, ſed inſtarent vſq; mihi tenebris.*
*Indomito hà quoties mærorum turbine raptus,*
*Vt rapitur vaſtis puppis ab æquoribus:*
*Per nemorum latebras per opacos ilice ſaltus*
*Erraui nudo, multa fremens, capite!*
*Ingenia hà quoties inflexi auſtera ferarum,*
*De ſilicum & venis elicui latices!*
*Hà quoties Echo mecum vnà aſcendit acutis*
*Queſtubus excelſè ad Sideream vſque domum!*
*Antráq; per calamis vlularunt flebile Fauni,*
*Naiades ac truncis intonuere tonis!*
*Sed benè, quod tandem liquido auſpicio mihi Homere,*
*Oblatus, ſordeis qui mihi ab ore laues.*
*Eſſe & eorum vnum iubeas, quos ritè tibi alti*
*Pectoris alta Fides obſerat in tabulis.*
*O gemmis contra carum caput, ô bone Homere*
*Tun' facis vt placeam iam quoque ego ipſe mihi?*
*Exq; humeris auſim citharam ſuſpendere, Arachnes*
*Hactenus ex omni parte adoperta opere?*
*En benè habet. quare volucris liquor ille Caballi*
*Non mihi de quauis rupe repentè fluit?*
*Cur non ex Charitum mellita ioca haurio labris!*
*Digna loquorq; ipſis verba Cupidinibus?*
*Quantus noſtra foret vox plauſu! quantáq; de te*
*Efferre in extremos vſq; ad Hyperboreos!*
*Qualiter ô Fratris genium, ingeniumq; probarem,*
*Pectus & intactis candidius niuibus!*

*Qualiter*



*Qualiter ô digna cumularem laude Sororem*
*Germanam, aggreſſus non humilem hiſtoriam!*
*Germanam, in cuius Grauitas lepidiſſima fronte*
*Regnat, & Eurinomes ludit amica trias.*
*Cui color inq; genis, qualem Roſa pura habet, vdam*
*Si Bacchi temerè decidat in pateram.*
*Germanam à qua inceſſum & mores diſcat, amaris*
*Orta maris quondam Diua voraginibus.*
*Factus enim veſter, de raro more, ſacerdos,*
*Frenarem folijs tempora pampineis.*
*Præfulgenſq; toga oſtrina, atq; imbutus odore*
*Quem de herbis lectis exprimit vſtus Arabs,*
*Grandi Aulam ingrederer paſſu, dictáq; ſalute*
*Vobis, auguſta relligione, tribus:*
*Barbiti inaurati neruos extenderem iniquos*
*Ornatis gemma diuite pollicibus.*
*Percurrens & creber ebur, tali canerem arte vt*
*Veſtrum auferretur quilibet in furias:*
*Ac laqueata darent plauſum tecta: ipſi & Atlantes*
*Sede viderentur cedere velle ſua:*
*Atrij & in medio trepidante ferire pede, omne*
*Ad linguæ illa mele delicioſa ſolum.*
*Pauſam at vbi numeris facerem ſoror obuia ſponte*
*Mi fieret, blandis deq; ſupercilijs*
*Dulcacidum iaceret radium in me, & cinnamei oris*
*Oſculo honorato ſufficeret nouum epos.*
*Hæc tunc. aſt iam nil queo quàm offerre omnia mentis*
*Deuotæ, ex animo, gnauiter officia.*
*Et facere vt mea qualiſcunque, ô Homere, Thalia,*
*Te ſurgente die, téq; cadente canat.*
*Tu quoque tu (quia me generoſior excitat ignis*
*Viſere & Eoos, viſere & Heſperios)*

*Curam aliquam dignere tui ſeruare ſodalis:*
*Seu benè, Harixma tibi, ſit malè ſiue tibi.*
*Et quoties Lucina diem feſtum aduehet hora,*
*Cognatúsve acri lotus aceto animam:*
*(Qualis Alamus Eſinga mihi dilectus amore,*
*Quanto alius quiſquam diligi amore poteſt:*
*Qualis Heremmani prudentia corq́ Solini)*
*Dicere Grutero ſis bona verba memor:*
*Atq́ ità, ſuſpirans imo de pectore, queras:*
*Quænam orbis terræ portio, Iane te habet?*
*Iane, mihi cuius tantùm ardor creſcit in horas,*
*Quantum alnus dulceis florea propter aquas.*
*Tumq́ rogas, deſiderium teſtate viantis,*
*Augeat appoſitum pupulæ aqua ampla merum.*
*O mihi dum taleis fas ſit ſperare furoreis:*
*Ipſe rubri malim non ſpolium omne maris.*
*Non thalamũ illum Auroræ, aut criſtalla illa Iuuẽtæ.*
*Non, mihi ſi pulſo dent Ioue ſceptra Dei.*

---

## *Pro valetudine* DAVIDIS CHYTRAEI.

## ELEGIA V.

*QVum ſpondæ ergo affixa, Chytræe, toro tibi, amaro*
*Vtraq́ ſit manus hinc, inde dolore pedes.*
*Votáq́ ſtent cunctis ſuſcepta tot irrita Diuis*
*Cæruleum cæli queis penetrale patet.*
*Quid reliquum eſt, humili niſi caligantia adire*
*Regna prece, atq́ Hecates ſiſtere me ante fores.*
*Præcipuè quum non cupiam concedat, eapſe*
*Meſſuit vnde auido pollice cæſariem:*
*Verùm ne extirpet iuuenali in flore ſenectæ,*
*Doctius aut melius quo nihil orbis habet.*
*Inferni*



*Inferni ô Regina Erebi, ſociata marito*
*Saturnus gaudet cui meritò eſſe pater.*
*Quid tibi iucundum Stygiæ tranſcribere ſorti,*
*Vix vitæ media eſt cui peragrata via?*
*Parce Dea. Vſuram ac lucis concede Chytræo*
*Euboicæ attigerit ſecula donec anus.*
*Et diu enim terris fuerit venerabile Sidus,*
*Iuris erit veſtri non tamen ille minus.*
*Quod ſi cæde manus hominum impurare libido,*
*Non ideo eſt, tua cur dextera ceſſet iners.*
*En tibi quot reſtent Silicernia caſca, moriri*
*Queis etiam nondum per ſua vota licet.*
*Sin volup eſt potius, iuuenis cruor: aſpice quanta*
*Latronum imperitet per loca cuncta manus.*
*Aſpice, præcipiteis quot Deſperatio ducat,*
*Vt iactent alto corpora de lapide.*
*Sed fortaſſis amas theſauro tradere Auerni,*
*Quos dubium eſt proles ſintne hominũ, anne Deûm.*
*Intima quosq́ acido lautos præcordia aceto,*
*Ob ſcripta & mores in pretio orbis habet.*
*Nempe vt, quum pateat taleis diſcrimine nullo*
*Impoſitis à te poſſe premi pedibus:*
*Stet populo tuum in omni formidabile nomen,*
*Incutiat ſolidè Cælitibusq́ metum.*
*Et fruſtra es. quantum valeas benè nouimus omnes.*
*Nec tua iam poſthac creſcere fama queat.*
*Immò etenim nobis tua falx Sigonium ademit,*
*Gloria per quem Italûm, Graiugenúmq́ viget.*
*Communem inq́ locum Gulielmium, auara tuliſti,*
*Quum matri inciperet diſſimili ire gena.*
*Ingenij nec profuit ipſi induſtria princeps,*
*Aut genij raræ luxuriantis opes.*

Pannoniæ atque decus clarum Sambucus, egenteis
Luce domos per te, non rediturus iit.
Nuper & immenſum ſene de Victorio ouaſti:
Vt quoq; Cratonis de inclyti imaginibus.
Si tamen haud tibi adhuc ſatis eſt oneratus opimis
Exuuiis currus, vlteriordq; aues:
Elige de reliquo viuentum examine quem vis,
Diua, Chytræum vnum præteriiſſe velis.
Vah, quænam inuidia eſt, nolle in ſuperis caput eſſe
Antiſtet aliis quod probitate, locis!
Nec probitate modò, Doctrinarum at genere omni
Quas coluit Latium, Græcia quas coluit.
Iſte eſt, Perſephone, cuius lingua aurea Muſas
Non ſecus ad Varnum ex monte Helicone trahit,
Quàm quondam poſt ſe Gallorum illa agmina traxit
Herculis artifici facta catena modo.
Iſte eſt, Barbariem qui Mænalio axe fugauit,
Et Sophiam inuiſis eruit è tenebris.
Illuſtrem Sophiam, quæ homines cæleſtibus alis
Limpida ſubnixos ſcandere templa docet.
Iſte eſt in cuius Patrima virago libellis
Vſq; habet, vſq; & habet trans mare nata Venus.
Et qui nunc monumenta etiam, Phœbo auſpice gignit
Queis Liuor nequit, aut longa nocere dies.
Hà Cereris nata, huic ſi tempora nube nigranti
Cinxeris, vt Diti victima prona cadat:
Solarem è mundo tuleris quoque lampada, dehincq;
Nox malè cum Tenebris incubet vna ſolo.
Deſpondensq; parens Natura animum, egregij artis
Nullum vnquam poſthac effigiarit opus.
Nam quî de meliore aliquid formare metallo,
Id citò quum peſſum det tua dextra, velit?
Affecto



Affecto ſed ſi ſuccurras, Diua, Chytræo,
Des & ei Pylij luſtra videre Ducis:
Addideris Naturæ animum, ſatagátq; frequenter
Fingere de rara pectora materie.
Et tibi, quid boni erit, pulcerrima Perſephonea,
Hauſerit iſtius ſi Styge imago, de aqua?
Tot certè Elyſiis Docti ſtabulantur in aruis,
Augere vt numerum non duo trésve queant.
Hocq; etiam liquido iurarim, toto adeo orbe
Nullum eſſe, ex tali qui lucra morte petat.
Ergò, Diua triceps, quod ſit tibi gloriæ, & omni
Vtile Sol quà in equis itq; reditq; plagæ:
Serua, nex cuius nulli quit proficere hilum:
Vita erit at cunctis commoda terrigenis.

---

## AD IVSTVM LIPSIVM.

### ELEGIA VI.

QValiter orbata intercepto compare Turtur
Immoto in tetricis Vepribus ore ſedet:
Aut ſecura ſub arbore nulla, huc fertur & illuc,
Lugubri accentu flens miſerabiliter.
Non aliter quoque ego Lugduna ſpretus ab vrbe,
Præ mœrore alium mutor in Harpocratem.
Nec potis eſt verbum linguæ vis promere, quo auri-
Illitæ acetoſo rore ſatisfaciam.
Solùm in inacceſſa Soli camera gemo, amaris
Dante Echo ſociam ſe modulaminibus.
Vtq; latex ſciſſi manat de palmite vitis
Phœbus vbi Helleæ vellera clarat ouis:
Sic mihi ſtillatim cadit ex oculis aqua, quæ horis
Omnibus humectat hinc genam, & inde ſinum.

Heuſleo. Socraticæ parcas ſapientia chartæ.
Tuq; tua ignores, Stoa, magiſteria.
Non etiam veſtri efficiunt conſulta Senatus,
Quum fomenta dolor queis probè alatur habet.
Ille meus qualis dolor eſt. qui non ſecus auget
Quàm flamma arenteis lapſa modò in ſtipulas.
Ergo erepta tui eſt omnis mihi copia Lipſi?
Lipſi ô vita lumine amabilior.
Nec dabitur poſthac ductu auſpicioq; tuo, ire
Romulidum indefeſſa arte per hiſtorias?
Et legere inde rapace manu quæ homini antidotū ſint
Contra aciem Sortis, Mortis & ingluuiem?
Sicne ſuburbano non vnquam tecum ero in Horto,
Ac ſuæ vterque gemet excidium Patriæ?
Puluillóſq; modò heic, illicq; modò expoliendo,
Cuncta reuellemus gramina inutilia?
Mox & ibi auſcultabo loqui te plurima raptim
Verborum artifici non ſine temperie?
O dulces linguæ affatus! ô aurea verba!
Sic iurem Peitho, ſicq; loqui Ægyalem.
Hà quoties memini pendentem me tuo ab ore,
Numine commotum cor habuiſſe nouo!
Et dixiſſe: Si erat talis pellacia Nymphis
In Siculo quarum regna fuere mari:
Quid mirum ſalua nullum euaſiſſe carina, at
Seirenum iſſe omnes ſponte ſub imperia?
Mirum imò hocce magis non inuito ratem Vlyſſe
Direxiſſe ſe eò, quò illa mele ebiberet.
Sed quid ego, ah demens, vnguem meo in vlcere laſſo,
Exq; dolore dolorem grauiore geno?
Quin opto potius Matuta diem alite biga
Iam vehat, ipſe adſim quò tibi, túve mihi?

Tunc



Tunc habeam erigere Aonidum altum altare coronæ,
Conſpicuum raris Indiæ aromatibus.
Tunc iuuet exilium fætis indicere curis,
Et dare pro tumulo queſtubus Oceanum.
Tunc auſim omne caput ſtrophiis redimire Roſarum,
Metra loquique ipſis digna Cupidinibus.
Inuidiáq; altùm muſſante, probare reapſe,
Eſſe aliquem, qui det Phœbo operam & Themidi.
Interea at quid erit? Deſiderio macreſcens
Curriculum vitæ in luctu agam, & in lacrimis.
Longè aberunt hilariq; dies, noctéſq; quietæ,
Mentem homini & quicquid non miſerā eſſe ſinit.
Errabo ſcopulos inter, valleiſq; profundè
Quà via erit nullis trita prius pedibus.
Atq; ibi, quæ pecudum poſſint modulamine ſenſus,
Cordáq; quercorum inflectere verba querar.
Qualiacunq; tamen mea murmura lingua ciebit,
Non quibit nunquam non memor eſſe tui.
Non quibit. nam nec tenebris orientibus vllæ
In ſomno occurrit quàm tua imago mihi.
Illa animum alloquiis, palpat, fallacibus ægrum,
Et mecum haud vnis itq; reditq; locis.
Nunc ferimur cycnea vltra Orbem Amathuſidos ala,
Eſuriemq; ſacra pellimus ambroſia.
Nunc Heliconiadum itur per nemus, atq; ibi denſis
Frenamus variè frontem hederæ ſpoliis.
Hæc, fateor, verè ægro euanida gaudia. Sed quid?
Dulce pio vel ſic poſſe frui capite.
Quod tibi ſi toties noſtros quoque Numina pandunt
Affectus, quoties me tuus angit amor:
Non dubitem clarè ſemper tinnire tibi aureis,
Vſq; toro & ſpecie Morphea adeſſe mea.

Sed non tranſmittunt mea Dij ſimulacra, nec eſt fas.
Quum ſtet tota tibi mens grauida à ſtudiis,
Quæ faciunt, Graiæ minus inuideamus vt oræ,
Cumq; ipſis Gallis ſit nihili Auſonia.
Sat curam in vino atq; ioco ſeruaſſe mihi olim:
Diceréq;: heu quondam care Grutere, vbi abes?
Quod ſi aliquando ita te vlterius prouexerit ardor,
Vt, gutta ex oculis lapſa, merum inficiat:
Non tunc maluerim mihi grana rubri pelagi, auri
Eruit aut quicquid é ſinu humi Arrabia.
Fallor? an efficies ſic, quod fieri ante negabam
Poſſe: vt ob abſentem te minus excrucia?

## AD IACOBVM ROSENDALIVM.

### ELEGIA VII.

Ille ego qui quondam implicitus Peneide crineis,
Luſtrabam gnaro Muſica templa pede.
Quiq; Cupidinis auſpicio vltrà Amathuſidos orbem
Vſq; habitantia habebam in Charitum ore labra.
Ad te nunc, Helicone procul, procul amne Caballi,
Heu, miſerabilibus ſcripturio iſta modis.
Ad te nunc, Veneris procul axe, geniſq; Thaliæ,
Confectus lacrimis aduenio atq; ſitu.
Hoc ideo, vt fias mihi vel Podalyrius ægro:
Exhibeas ve aliquos vnde rogem ipſus opem.
Talis enim in miſero craſſatur pectore peſtis,
Qualem hominum nullus eſt tolerare potis.
Nam Patriæ vt taceam euerſæ non nobile fatum:
Fato & eo, mea mox omnia fracta bona.
Nam taceam vt gemitus vtriuſq; ſub hoſte parentis,
Tótq; ſororum, & tot fratrum inopina mala.
Præcipuum



Præcipuum ille decus iuuenum Franciſcus abiuit
Cammius hinc, Lethes ad nigricantis aquas.
Cammius in quo me totum transfuderam, & à quo
Non poteram ſanus vnicum abeſſe diem.
Cammius in me qui ſeſe transfuderat, à quo
Nec poterat ſanus vnicum abeſſe diem.
O deſiderium breue! Spes ô omnium inanis!
O Vmbra! imò Vmbræ futile ſomnium Homo!
I nunc & cumula agnorum nidore Tonantem.
I nunc & precibus Numina creber adi.
ſtua vota volent pigris ludibria ventis,
Rideat & pingueis Cælica turba focos.
Hàc mala quæ mihi te rapuit, Cammi, Atropos? hà qu
Tam citò Fors mea fert gaudia morte tua?
Ah, ah, morte repentè, repentinò occidis, vt flos
In meliore ſolet ſolſtitialis agro.
Occidis ah, Cammi. nec mens tibi fœta Deabus
Ter tribus, aut conſtans cum Pietate Fides:
Nec patrio ſermone mele, orbi incognita noſtro
Profuerunt, Orci quin gradereris iter:
Et me deſereres, lacera cum puppe, ſine vllo
Rectore, immani naufragum in Oceano.
Hà Cammi. hà aſſiduè tu viuens dulce leuamen
Ritè mihi, ancipiti hoc tempore, ſemper eras.
Mœſtitia mecum verè angebaris eadem,
Et mea erat propria ſors mage ſorte grauis.
At nunc, te properè denato, ſpecula nulla
Eſt ſuper auxilij conſilii ve mihi.
Tu me, tu in noctem inuoluis caliginis atræ,
Viueréq; in ſolida cogis amaritie:
Qualiter in viduis frondoſo tegmine truncis
Amiſſa exuccus compare turtur, agit.

Hà fleo quantum vllus potis eſt flere, hà fleo, túq;,
Túq; Roſendali, age ô te ſocium adde mihi.
Fruſtra es enim, noſtro ſi vis dare pharmaca morbo.
Fallórne? an ſtimulus cor tibi & iſte fodit?
Ille etiam iunctus longa aſſuetudine, tantùm
Non tibi amabilior lumine vtróq; fuit.
Hà geme, quantum vllus potis eſt gemere. vſq; profuſis
Largiter & lacrimis lumina bina natent.
Non tecum poſthac viridi reſupinus in herba,
Dulcia ſecuro carmina corde canet.
Non poſthac ipſum, nemoralibus abditus vmbris
Virginem ad Aſtræam molle docebis iter.
Non tecum. ah. Sed quid? ſingultu ſtrangulor arcto,
Dictáq; mox linguæ præpedit ipſe dolor.
Ergo ego nec, Cammi, iniiciam tibi Veris honorem
Quicquid & Aſſyrius lucus odoris alit?
Talia non poſcit noſter ſibi munera luctus
Qui mihi edit ſanguen vſq;, animæq́; adyta.
Verùm inter planctus, inter ſuſpiria denſa,
Quod ſupereſt vitæ in priuo habitaculo agam.
Verba querarq; illic, ſilicum motura rigorem,
Et docta ad fletum ſollicitare Deos.
Calliope haud aliter ſoboles ad Strymonis vndam
Tartareæ fleuit irrita iura viæ.
At tu, Iacobe, cui tantum fortuna nocere
Neſciit, vt ſolito dimoueare gradu:
Porrice purpureos flores, Arabúmq; liquorem,
Atq; precare, leuis compoſito ſit humus.
Atq; Dii in cineres ne tandem detur auara,
Mergatur Stygis & totus in æquoribus.
Eius honorata fulci pia nomina fama.
Floreat in ſcriptis perpetuúmq́; tuis.

Quò



Quò penna ſolui metuente repentè feratur
Auratum illuſtris ad ſolium vſq; Iouis.
At iuuenile caput frenatus fronde ſuperba,
Franciſco ſocius vſq; Petrarchio eat.

---

## THRENVS. ELEGIA VIII.

QVod mare ſufficiet fonteis oculis mihi? quæq;
Linguæ Calliopea orſa vlulanda dabit?
O cælum, ô tellus, ô circat qui omnia Nereus!
O Natura, homicidæ ô vetulæ atra manus!
Cammius ergo abiit, meus haud ſolùm atq; meorum,
Verùm ingens cæli, verùm hominũ omnium amor?
Delitiáſq; tulit ſecum, illáq; gaudia vitæ
Quæ nulli poterunt reddere Luciferi.
Hà funeſta dies, Erebiq́; inuiſior Vmbris!
Hac Doctrinæ oculus, hac Bonitatis obit.
Hac, lingua illa, ſeneſcenti prius æmula olori, ac
Neſcia Trinacriæ cedere Virginibus,
Cœpit perpetuum miſerè obmuteſcere in æuum
Sub terra impuris vermibus eſca data.
Hæc interrupit ſtudium illud nobile, & illa
Grandia non domiti propoſita ingenij.
Ah Cammi. ah animo dilecte meo vnice, in ipſo
Quæ Febris voluit te effera vere mori?
O verè crudelem! ô maximè & omnium iniquam
Quas Lethea palus implicat Eumenidum.
Ah, ah, ah. quæ ſic te aggreſſa eſt tollere, & ipſum
De ſolio alte auſit præcipitaſſe Iouem.
Auſit: eam & tacito tunc ſic credam ore locutam:
Si potero hunc, potero tollere deinde Deos.

Atq; vtinam tollat. nam cum Dijs quid mihi, ſi tu
  Vita mea ô verè, Cammi, animusq; iaces?
Ergo iaces, Franciſce? iaces Franciſce? nec vnquam
  Cernere erit poſthac te mihi, méve tibi?
O diuturnum diſcidium! ô lacrimabile tempus!
  Tam procul hinc mea quid? tam cito, Vita, quid is?
Heu, oſtentaris, raperisq; ſimul, velut agri
  Germen in extremo Solſtitiale ſolet.
Nec potui tibi tunc ſaltim, lux ô mea, adeſſe
  Quum iecur exederet Febris acerba, comes!
Hà pereant omnes malè, qui me ex Oppido ad Hagæ
  Non voluere, eheu, tunc vocitare nemus.
Et ſi fas, tibi Amice, lubens iraſcar ob vnum hoc,
  Quod iuſſu non ſum iuſſus adeſſe tuo.
Ipſe etenim ipſe tibi melius quàm millia multa,
  Quàm terni fratres, quàm gemina ſoror.
Ritè miniſtraſſem ſuccosq; herbasq; ſalubreis,
  Et medicis quæcunque apta magiſterijs.
Ritè Coronidem, Phœbumq; in vota vocaſſem,
  Adſtans vſque tuum pervigil ad thalamum.
Quod ſi arteis vehementia morbi omneis viciſſet,
  Nullaq; te poterat reſtituiſſe Salus:
Tunc noſtris ſaltim ô cubuiſſes molliter vlnis:
  Et, quæ poſtremo mortis in articulo,
Murmure non magno, clamaſſes verba ſuprema,
  Ipſe mei poſuiſſem in penetrali animi.
Vltimam & ore legens animam meo, ab ore tuo, udis
  Corpus calfeciſſem omne tibi lacrimis.
Texiſſemq; oculos nigra iam in morte natanteis.
  Dixiſſemq; altater tibi voce, Vale.
Mox, cum funeribus tibi, & inclito honore ſepulcri,
  Plorato inieciſſem, & caſiam & violas.

Mandaſſe



Mandaſſemq; nouis dari adorea liba Kalendis,
  A iuuenum turba virgineóq; choro.
Verum horũ, ah, potui nihil. ergo quod poteſum vnum,
  Hæc tibi veſpere ego, hæc carmina manè canam.
Hæc tibi mane nouo, tibi carmina veſpere ſero hæc,
  Vita, canam in luctu totus, & in lacrimis.
Inſatiabiliter nec erit pauſa vlla dolendi,
  Cerbereas donec trudar ad excubias.
Illic, ne Labyrintheâ regione viarum
  Ludar, vel mihi pes ceſpitet in tenebris,
Occurras venienti hilarus, cupidiſſimè & arcto
  Amplexu ſtringas oſſa minuta mea.
Aduentúmq; vt eris gratatus, rore marino
  Cæſariem iuuenalem vndiq; nube mihi.
Ducensq; Elyſij in nemoris conualle, Petrarchæ
  Et Molſæ dones proximum habere locum.
Sic enim & ipſe modò exceptus, Cammi optime, es illis.
  Adq; Arioſti alacris ſtas latus indè comes.

---

## AD GREGORIVM BERSMANNVM.

## ELEGIA IX.

SIc eſt. nullum adeò triſtis Rhamnuſia vexat,
  Vt placida non ſit luce aliquando frui.
Ecce. ego qui amiſſis Abauorum dulcibus aruis,
  In terra peregrina omnium egenus ago.
Inueni tamen, exilium quò indicere Curis
  Audeam, & haud meminens ſupplicij eſſe mei.
Qualis enim, Erigonem quum animat Phœbĩ a lãpas,
  Caltha, nimis rabido flaccida ab igne, macet.
Deſuper at pluuio veniente imbre, illicò honorum
  Tollit, inaurato tegmine amicta, caput.

F ij

Haud aliter tua me reuireſcere Epiſtola fecit
Diuidiæ preſſum cordoliiq; vadis,
Berſmanne, ô penitus primaria adorea fontis
Ales Abantiadæ quem pede ſcalpſit equus.
Nam quid ego merui, cur de numero eſſe tuorum
Me, tibi non vnquam cognitum inante, velis?
Præcipuè articulo hoc rerum, non quo mihi pura
Stamina Parcarum pollice triga neunt.
Sed bona pars quibus inq; oculis, animoq; ferebar,
Infitias vellent notitiam ire mei.
Hà, tibi ſi factum id, quod odora indagine mentis,
Poſſem antiquorum Romulidum aſſequi iter:
E caſcaq; nouam lauru' ſperare corollam,
Quali Lipſij ouant Scaligeriq; comæ.
Turpiter es fruſtra. nam nunquam imbellia cordis
Ritè oneri tanto ſuppeditare queat.
Vtq; queat: rerum tamen haud ſtatus ille mearum
Nunc eſt, vt capiar tale quod exequi opus.
Scilicet hoc, Berſmanne, tuum eſt, cui cæſia Athena
Diuina, humanaq; omnia ſcire dedit.
Cuiq; Aganippei iuga per vocalia luci,
Calliope applaudit, Eurynomesq; trias.
Scilicet hoc, Berſmanne tuum eſt, cui vita quieta,
Et grauida omnigenis Bibliotheca Sophis.
Sed puto, me potius dignatus amantis honore es,
Quod mea ſimplicitas grata, fidesq; foret.
Si ſic: multa parata manent tibi gaudia, quanquam
Expleres Pylij ſecula trina Ducis.
Non mihi enim igniuit tepido præcordia thyrſo
Præſes inoffenſi Diua ſodalitij.
Iuſſit at ante alios tantùm ire furore fideli,
Ante citos quantum it curſu Atalanta procos.
Quare



Quare, animo audacter ſtatuas, fore me tibi certum
Quamdiu erit Solis cernere grande iubar.
Quin etiam ſua vbi de me æra receperit Orci
Portitor, ac nemoris Elyſij hoſpes agam:
Vſq; tui circumſtabit cura hoc caput, oris
Vnus & vſq; mei tute habitator eris:
Donec præſtitero mea per præconia, nomen
A ſumma ad minimam, laudet vt Vmbra tuum.
Accidat ô Fidij Iouis hæc mea ſponſio ad aureis.
Sancus & huic pacto teſtis adeſſe velit.
Siq; fidem gero ſubleſtam, hic memor adſit & ille:
Inq; meas pœnas quàm rigidiſſimè eant.

## MANIB. PETRI VICTORII.

### ELEGIA X.

SIngultato ſonitu exequialia verba,
Afflictæ requiem menti aliquando creent.
Aut redigant homines blandæ ad commercia lucis
Impoſito preſſit quos Libitina pede.
Lacrima ſit meritò grauis pretioſior auri,
Igneq; gemmarum quas pelagi vnda parit.
Verùm quum nihil his fletus, nihil adferat iſtis:
Sæpius imò etiam cedat vtriſq; malè:
Non ego, Victori, faciam tibi funera planctu,
Multus & Aſtricolas increpitabo Deos:
Sed potius palmæ ſtrophiis, laurusq; virore
Vndiq; nunc monumen condecorabo tuum.
Ipſus enim es, Duce quo è contemptibus Attica Peitho
Primitus exiuit, transq; marina Venus.
Cuius & auſpiciis Sapientia Romuli ab orbe
Barbariæ exegit luxuriantis haras:

Ipſam adeóq; metu cum ſummo, protinam ad Orci
Compulit infames aufugere extimi aquas.
Laudum igitur ſeriem dum voluo mente tuarum,
His mactum Daphnes te iubeo eſſe comis.
His mactum & ramis iubeo eſſe potentibus, vllo
Pondere tantillum qui haud potuere premi.
Atq; vtinam mihi ſit linguæ illa induſtria, dignè
Quò poſſem præco nominis eſſe tui.
A Sole exoriente audirer ad vltima Noctis,
Perpetuo de te multa tenore loqui.
Sed quid? tu viuus talis tantusq; fuiſti,
Vt dici poſſis non niſi voce Dei.
Voce vel illius qui par cœleſtibus, aut cui
Omnia Cœleſtes rara dedere bona.
T: qualis Latiæ princeps Vrſine rei, ire
Qui peſſum æternæ non ſinis vrbis opes.
Tu qualis Manucci, & Auo, & Patre doctior ipſis,
Multùm orante ſibi quo Dea Athena placet.
Tu qualis, Ciofane, venuſta, vetuſtáq; præſens
Eruere è tenebris, Inuidiæq; ſitu.
Muſſo igitur meritò, Victori, culpaq; nani
Deterat ingenij nolo tuum omne decus.
Vos tamen, ô Veneris volitantia pignora, Amores,
Ad felix Arabum iam properate nemus:
Indéq; odorato varias de flore corollas
Huc vehite, ac fragrans vnguinis omne genus.
Spiret vt ipſe cinis Defuncti Veris honorem,
Succindq; è buſto cara liquente fluant.
Tu quoq; tu, volucrum princeps Philomela, latere
Quam ſub ramo aliquà querquera cogit Hyemps,
Prodi, age, de latebris, & ſi quod amicius olim
Innumeris numeris es meditata melos,

Id



Id nunc ne magni graue ſit Victorij ad urnam
Gutturis omniſidis totum iterare tonis.
Interea Cycni, pendentes grandibus alis
Suprà altas tumuli ritè diúq; fores:
Arcebunt niuium liuentia vellera & acreis
Grandinis humentis, Cauri agilisq; minas:
Tu quoq;, tu, frater generoſi Tibridis, Arne,
Lenè ſepulcralem circuis amne qui humum:
Labere ſomnifero per ſcrupea ſaxa ſuſurro,
Siſq; memor nomen ſæpe referre Senis:
Id tuæ vt ediſcant Nymphæ, doceántq; vaganteis
Has ſinu vbi excipiet inferiore, Tethyn.
At Tethys Oceanum: Oceanus ſua Numina, vaſto
Subq; alibi quotquot imperio Æquora habet.
Æquora mox ſed idem terrarum dicere cunctis
Littoribus, plangunt quæ pede eunte, velint.
Vt ſic latiuij nihil intra mœnia mundi
Sit, Victorij honos cui latuiſſe queat.
Quanquam quæ gens ſepoſitis adeò iacet oris
Haud quibus illius nomen in ore ſonat?
Hà nulla. aſt veluti quum claram nubibus effert
Lampada Sol, oculos omnium vbiq; ferit:
Sic quoque, ſic populi Auroræ, ſic vltima Bactra,
Non vidiſſe tuum non potuere iubar,
O Sol, Victori, tenebras diſpellere ſuete
Quæ Graiûm incubuere, Auſonidúmq; libris.
Imò inſtare diem iam nunc cerno, orbis vterq;
Ad tibi certatim quum oppida culta ruent.
Agreſteſq; animos exuti ac barbara corda,
Mox eam adorabunt vertice ſupplice humum,
Quæ te de grauida ſuſcepit matre cadentem,
Primitus & fouit dexteriore ſinu.

*Ordine deinde ſalutatum tua ſaxa ſuperbo*
*Concurrent, ſpargent fletibus atq; ſuis.*
*Terq́; ſacro cineri fauſtiſſima verba precati*
*Ornabunt tantis totq́; ſepulcra modis,*
*Vt tumulus florum grauidetur diuite nymbo,*
*Ebria & Aſſyrio ſudet odore cinis.*
*Hacq́; fluant amnes latè Leneidos vndæ,*
*Hacq́; fluant lactis, mellis &, ampla freta.*
*Imô inſtare diem iam num cerno, orbis vterque*
*Quum meritis ponent templa opulenta tuis.*
*Binaq́; conſtituent candentia altaria ſaxo:*
*Queis deſit nunquam, thúsve, meri ve liquor.*
*Hic te viuenti manus æmula Praxitelem, ære*
*Exprimet, ornabit fulua corona caput.*
*Dextera Atlantiadis ſceptrum implicitũ angue tenebit.*
*In læua cornu nobile Copiæ erit.*
*Subq́; tuo talis cedetur nomine verſus:*
ORBIS AMOR QVONDAM. NVNC ETIAM ORBIS HONOS.

IANI



# IANI GRVTERI ELEGIARVM

## *LIBER QVARTVS.*

### AD IVSTVM LIPSIVM.

### ELEGIA I.

*NVnc mihi Dircæi plectra illicia illa poëtæ:*
*Nunc optem Oeagri filij habere chelym.*
*Non muri vt lapides faciam in noua membra coire:*
*Suſtineámve Hebri ſemper euntis aquas.*
*Sed mage quò raræ poſſim modulaminis vſu,*
*Securo peragrare hoſtica caſtra pede.*
*Meq; ea conferre ad loca, vbi Pax aurea nondum*
*Vnanimi comitum cum grege liquit humum.*
*Nam quid in hac regione morer, quæ Viperæ adinſtar*
*Natorum impetitur dentium acuminibus.*
*Natorum, inter ſe qui ità mox homicidia ludunt,*
*Vt quondam Cadmi ſemine nata cohors.*
*Hà Lipſi, hà Lipſi. mea non conſtantia tanta eſt,*
*Talia vt immota cernere mente queam.*
*Ire per infandi potius ſtat luſtra Procuſtis,*
*Perq; Promethe● ſparſa cruore iuga.*
*Quin quoq; tu mecum crudeleis, heus, fuge terras*
*Iuſte: nec hære heîc, peſſum omnia donec eant.*
*Omnia peſſum ibunt certè. Dei enim exceſſere*
*Ex adytis, quibus ante hoc ſtetit imperium.*

Pro quibus intrarunt cælatus Mars chalybe, & quæ
Perpetuum effuſo ſanguine gaudet Eris.
Omnia peſſum ibunt certè. nec ſpecula vitæ eſt,
Seruatos quamvis nos velit ipſa Salus.
Sed quid? num veluti, firmis radicibus arbor
Quercea ſtat cœli non violanda minis,
Spernis præſenteis animoſo corde tumultus,
Eq; priore nihil teſtatione mouet?
Aſt ego, ceu Boreæ perculſa graui halitu arundo,
Vſq; inter dubius Spemq; metumq; tremo.
Artibus & Phœbi valefactis totus in hoc ſum,
His vt inauditis me eripiam ipſe malis.
Curram igitur. poterunt nec me vlla pericula inermẽ
Siſtere, quin nitar propoſitum exequi iter.
Vt mihi prædo aliquis caput à ceruice recidat:
Quid tum? res miſera eſt vſq; adeóne mori?
Vſq; adeóne mori miſera eſt res illi, ab auitis
Furcilla ejecit quem peregrina focis?
Quiq; ſui veteris iam ſolùm Nominis vmbra,
Ludibria externi perpetitur populi?
Nil minus. imò ego iamdudum grauiore furore
Triſte peregiſſem grauiter enſe latus:
Viuere ni ſatius Patriæ poſt fata putaſſem,
Iuſta ipſi vt facerem luctibus & lacrimis.
Quod faciam. nec me Sol vnquam Lunáve cernet
Quàm affectum extremè cordolio atq; ſitu.
Interea Aonij Phœnix rariſsime cœtus:
Cypria cui præſtò eſt perpetim in ore Dea,
Lipſi, age, Aue atq; Vale. iam ſeptima ducitur ætas
Ex quo dictatis obſequor ipſe tuis:
Haudq; alio me itidem ſincerè amplectere amore,
Quàm pater amplecti filium amore ſolet.

Nunc



Nunc quoq; ne curam depone abeuntis, at extent
Corde tuo aſsiduè ora effigiata mea.
Veſtra quidem, fibris mihi ſcalpta adamante rigenti,
Nomina, magni inſtar numinis vſq; colo.
Eſtóq; teſtis Atlantiades, & Phœbus Apollo,
Et Dea quæ antiquæ præſtes Amicitiæ.
Nulla coronatum ſtellis caput efferet vnquam,
Nox, nec in Oceani flumina cana ruet.
Nulla rubeſcentis reſerabit limina cœli,
Aut candef ciet Tethyos antra Dies,
Quin mea conſtanter tibi mens famulabitur vni, at
Præſtabit fieri quæ altùm ab amante ſolent.
Incipietq; vbi iam iuuenalia rumpere fila
Perſephonæ triplicis triga ſeuera mihi:
Ipſam orabo, tuæ, v- ſumn æ applicet omnia, nõdum,
Quæ mihi virgatis prompſerat è calathis.
At ſimul Elyſij migrauero ad aurea tempe,
Cernere vbi eſt ſanctis Manibus hoſpitia.
Ingrediar latè luſtrare loca omnia, ſedem
Quò poſt fata aptam ſit reperire tibi.
Sedem aptam, propter criſtallina murmura fontis,
Quem viridante tegat laurus opima coma:
Ac circum illudant Paphiæ alto tegmine myrthi,
Vernáq; florenteis præbeat herba thoros.
Quâ inuenta, tabulam forti ſuſpendam oleaſtro,
Vnumquemque vetet quæ hoc temerare nemus.
Tuq; vbi iam centum totos impleueris annos,
Orciniq; premes publica tranſtra ſenis:
Ipſe ego Cerbereæ opperiar te in veſtibulo aulæ, ac
Cum trepida inuadam colla ſalute tua.
Apprenſúmq; manu ducam per opaca viarum,
Ne tibi pes vſquam ceſpitet in tenebris.

*Quid dico, heu? nihil obſtabit caliginis illic*
*Iuſte, tuis plantis. omnia lucis erunt.*
*Eumenideſq; ſuâ enim poſita feritate nocendi*
*Cum caſta aduenient poneq; & ante face.*
*Submittetq; Arabas tellus, prius horrida, meſſeis,*
*Purpureaſq; feret vilis arena roſas.*
*Occurretq; tibi, Doctorum quicquid in Agro*
*Læto habet, amplexu te excipientq; ſuo.*
*Nec ſecus illa dies genialis habebitur ipſis,*
*Quàm qua Hecate fratri eſt facta marita Iouis.*
*O quàm ego tunc digito mõſtrabor ab omnibus! ô quàm*
*Tunc iraſcentur millia multa mihi:*
*Et dicent: Cur hic homo Dux it Lipſio, & haud cum*
*Mœonida Plato, vel cum Cicerone Maro?*
*Sed nihil efficient. nunquam tuo ego à latere ibo.*
*Tu, Lipſi, quoque noli à latere ire meo.*
*Nam tibi vt hic multo ſit, multo aut dignior ille,*
*Nemo mage è cunctis fidus amator erit.*

---

## AD PETRVM MEMMIVM. ELEGIA II.

*QVis putet? auſteræ me vis dolat effera Clothus,*
*Incertiſq; procul ſedibus exulem agit:*
*Et tamen haud mihi mens aliter limphatur, acuto*
*Ac quibus Aonidum corda furore calent.*
*Terq; humilem pertæſus humũ, vlterius iuga Cyrrhæ*
*Gorgoneis videor ſcandere raptus equis.*
*Fallor? an ipſe tuo pectus, Memmi, incitor æſtro,*
*Tecum & in auguſtum geſtio abire nemus?*
*Heîc vbi cincta Nouenſilibus Cytherea Deabus*
*Poſta habet in Charitum molle caput gremio.*
Hà



*Hà Venus, hà aligeri mater blandiſſima Amorum:*
*Quid me à te ſpretum vis ità abeſſe diu?*
*Iam bis demeſſæ ſegetes ſicelicibus, & bis*
*Turma coarctauit Pleïadum orta diem.*
*Ex quo innox, inter gladioſq; faceſq; tyrannas*
*Æuum inconſumpta duco in amaricie.*
*Eſt longè lyræ epos, longè præſtes lyræ Apollo eſt:*
*Longè legiferai orgia ſuntq; Deæ.*
*Ibi non pollicita hoc, quum haurirem luminis auras*
*Primitus, & premerem nudus & vdus humum.*
*Sed fore iurabas quem mox mactaret amore*
*Non tralatitio Pallas, & alma Themis.*
*Quiq; diem gemma ſignarem perpetuùm Inda.*
*Quamdiu in iſto aliquis ſpiritus ore foret.*
*Fata recuſarunt. primuſq; puertiæ ab annis*
*Ad lucem hanc, felix rara mihi hora fuit.*
*Nunc igitur tandem aſpiciar tibi, Diua, oculo æquo:*
*Dáq; meis curis pro tumulo omne mare.*
*Què pote ſim ipſe, alij pote ſintq; reapſe tueri,*
*Omne ſolum Doctis pro patria eſſe viris:*
*Præcipuè caput Hanſatici pacti Lubecum,*
*Quam ſibi habet proprium Memmius hoſpitium.*
*Memmius à Styge qui tot millia mille reuectat,*
*In grauidáq; iubet ire Charunta rate.*
*Inuiſoſq; ſuos me inter numerauit amicos*
*Quos benè-complecti ritè-volentia auet.*
*Nec ſatis hoc. reliquis, faciant vt idem, inſtat amicis.*
*Vſq; adeò, vt quotquot ille Fideſq; colant,*
*Hos quoque ego valeam cenſere in claſſe meorum.*
*O Petre diuitiis Memmi animoſe tuis!*
*Iſtud, iö, verè communio Pythagoræ ampla,*
*Iſtud, iö, verè dulce ſodalitium eſt.*
Fore

*Fare ſed ô Memmi, quæ te dementia habebat,*
*Quum peteres meus vt mutuus eſſet amor?*
*Illum vt ego haud geminis vltrò mage diligam ocellis?*
*Illum vt ego haud venerer corde animáq; magis,*
*Qui me non viſum inter eos numerauit, opima*
*Quos bene-complecti rite-volentia auet?*
*Illum, inquam, in cuius Peitho ſedet aurea labris?*
*Cuiq; Coronides hinc comes, inde it Amor?*
*Illum, ſepoſito quem rari nectaris imbre,*
*Triga rigat Charitum, nata mariq; Venus?*
*Tunc hominum penitus penitusq; miſerrimus, omni*
*Sim reus in populo. quid reus? imò ſacer.*
*Non. non ſic intus tepidè eſt ignita medulla,*
*Poßit vt ingrati quis mihi ferre dicam.*
*Tangit enim illa mihi validè præcordia thyrſo*
*Præſidet antiquæ quæ Dea amicitiæ:*
*Iußit & ante alios tantum ire furore fideli,*
*Ante alios quantum it Pegaſus alipedes.*
*Atq; vtinam ſimileisq; tibi, ſimileisq; Tonaglo*
*Sors ſocios plures det reperire mihi.*
*Auſim ego tùm omnigeno laqueum mandare dolori,*
*Ac nunquam meminens exilij eſſe grauis.*
*Sed viridante hilarem redimitus baccare frontem,*
*Laude omni audirem maior, & inuidia.*
*Qualem ſi vellent ætatem viuere cuncti,*
*Prorſus ab infami liberi auaritia:*
*Belgica nulla bonis viduatas ciuibus vrbes*
*Fleret, & in cinerem cuncta ſua eſſe bona.*
*Nec toties pater in nati, totiesq; parentis*
*In iugulo natus tela tepefaceret.*
*Sed quorſum hæc? hodie omnia vos lacrimoſa valete.*
*Cras, ſatis ah, iterum ſi doleamus erit.*

AD



## AD IOANNEM CASELIVM.

### ELEGIA III.

*IAm Sol bis decies peragrauit curriculum æthræ*
*Luciferûm adiutus cornipedum alite ope:*
*Ex quo, Caſeli, aduentum tuum in vrbe Lubeca*
*Inq; diem opperior aßiduè inq; diem.*
*Fama nec in tanto venit minima internallo*
*Quæ non ſuaderet nos animo eſſe bono.*
*Solùm, vbi dicta dies præſto eſt, nos fallis, & atra*
*Aduolat heu, pro te, litera picta manu.*
*Litera, quæ cunctos, de ſpe deiecit opima,*
*Venturum dum te acri aſperitate negat.*
*Quid mihi tunc animi fuit? anne quod Agricolæ, arua*
*Quum propè natura flaua vegent ſegete?*
*Cui grauidas imber pluuius ſi quaſſet ariſtas,*
*Fulmina ſiue Iouis, flamina ſiue Noti:*
*Hà quæ præcipiti non verſat improba lingua*
*Dicta, minax Diuis, aſtriferisq; rotis.*
*Certè, ego non ſecus in te ſum mala verba locutus*
*De triuio quàm ſi ſcurra quis ipſe fores.*
*Acrationum ita difflaui agmina vana tuarum,*
*Difflat vt exangueis aura ferox paleas.*
*Nam minus eſt nihilo cauſari Aquilonia flabra,*
*Corporis & de alta debilitate queri.*
*Scimus enim quàm ſis choreæ acceptißimus omni*
*Stellâtum cœli queis penetrale patet.*
*Te gradiente foras, dio ſparſiſſet odore:*
*Ritè artus Princeps delitioſa Paphi:*
*Ne vis ventorum potis alta nocere fuiſſet,*
*Aut luxare nimis tenuia membra labor.*

Ipſéq; mox fœtam ſcintillanti igne Cupido
Luxiſſet pulla nocte repentè facem:
Vllus ne ancipitem traxiſſet ab æquo itere error:
Extaſſent temerè ſaxáve iniqua pedi.
Cetera at alarum duplici turma ordine Amorum
Hinc defendiſſent grandinem & indegelu.
Quæq; prius turmatim inhonora in vepre latebant
Pennipotens clauſo gutture vulgus, aues:
Tunc tactæ ad viuũ aligerûm æſtro infantium, acutè
Soluiſſent blandis os modulaminibus.
Téq; ſalutifera comitatæ voce fuiſſent,
Donec vbi almum effert celſa Lubeca caput.
Exhibuiſſet enim hæc, dicta acceptáq; ſalute,
Deſubitò illa tibi cara ſodalitia.
Inter quæ facilè primas Petrus obtinet, illo
Memmiadum antiquûm nomine nobili ouans:
Sidlerúſq; audax Libitinæ auellere ſpondũ,
Furua Hecate crinem ſuſtulit vnde ſibi.
Hiſq; animo iunctus ſimili ſtudiiq; Tonaglus,
Tangere Phœbi aptus dulce Tonaglus ebur.
Qui quoq; me, lateri annexum ſuo, amicius ad te
Duxiſſet, tale ſponte locutus epos:
Si mens, Caſeli, magnis tibi habere pro amicis
Quos facit aſpectus & diuturna dies,
Stare gradu extremo cogetur hic, ecce Gruterus,
Ignotum cuius nomen in aure ſonat.
At ſi multa placet duris exercita virtus
Cúmq; fide, mores in pretio vnice habes:
Iſte nouus, quanquam primos ſedem occupet inter,
Dedecori primis non erit iſte nouus.
Forſan & ipſius firmaſſes dicta: tuorum
Claſſéq; in electa nunc numerarer ego:





A te qui modò bis malè ſpretus millibus octo,
Deſide conficior vulnere amaritiæ.
Dum me deciduus ſupero liquor vdus Olympo
Roſtochij petere mœnia docta vetat.
Præcipuè iam regnet hyemps quum dura, Vialis
Copia nec mihi ſit Numinis vlla ſuper.
At quàm, Caſeli, ductore te & auſpice, abiſſem
Vndique per tutus flumina, perq; niues!
Quamq; ſuo Diui, veſtigia veſtra ſecuti,
Me quoq; fouiſſent ritè patrocinio!
Qui nunc immeritò doleámq; querárq; neceſſe eſt,
Non puduit fluxam te quod habere fidem.
Pro quo crimine mulcta hæc ſit tibi dicta, libenter
Iſta vti ieiunâ carmina fronte legas.
Quæ ſi pœna grauis nimium nimiúmq; videtur,
Hac fieri poterit conditione minor,
Si te mente mala fateare leuíq; fuiſſe,
Pollicitum & poſthac fallere velle neges.

---

## AD HENRICVM BRVCAEVM.

### ELEGIA IV.

SIcut vbi imperitant Aquilonia flabra ſolo, herbæ
Marceſcunt, torpent flumina, muſſat auis.
Sed ſimul ac blandæ reuenit Zephyritidis aura,
Inſultat placidè lympha crepidinibus.
Conqueritúrq; iterum linguæ Philomela rapinam,
Arborum amatarum, tecta virente coma.
Sic quoque ſic ſiluit meritò mea neruia, Martis
Sæuibat patria dum regione furor.
Verùm nunc poſtquam fas iſtis degere in oris
Crudæ vbi Bellonæ nemo ſatelles adeſt,

*Sed Pax,ſed Pacis ſociæ Patrima virago,*
*Diuaq́ quæ tribuit cuiq; ſuum,hoſpes agit:*
*Quid potius faciam,auſpicio,Brucæe,ſecundo,*
*Quàm mihi in aſſueta conterere arte diem?*
*Plus etenim nihilo eſt,puerum ceſſaſſe choreis*
*Mnemoſidum,atq; hedera nuptum habuiſſe caput:*
*Si iuuenem noctu totum meſponda Vacunæ:*
*Luce,pigræ totum Murciæ habent adyta.*
*Egregijs videas ſic floribus arborem amictam*
*Vitulat vt fœtus Veris in orbe tepor:*
*Quæ nuſquam grauidis oſtendet mitia ramis*
*Poma,vbi iam Erigonem Solis adibit equus.*
*Ergo adſis,Brucæe,humiles nec deſpicito Odas:*
*Quæ mihi nempe tuo munere proueniunt.*
*Dum peregrinanti non fictè vltroneus offers*
*Librorum quicquid poßidet arca tua.*
*Conſequar vtq; alios,quorum tibi copia non eſt,*
*Adniti ignaua ſedulitate cupis.*
*O expers verè ingenium ambitionis,& ipſa*
*Quod re,ſe Belgis progenitum eſſe docet.*
*O pectus lotum haud incaſſum acidißimo aceto,*
*Atq; Promethidæ fictum Adamante manu.*
*Nam non de duro credam ſaxo effigiatum*
*Cui ſua Cœleſtes cuncta dedere bona.*
*Te nec enim ſolùm Phœbo atq; Coronide natus*
*Leges Fatorum infringere poſſe dedit:*
*Et ſpolia Orcino theſauro auertere opima,*
*Quæ rate iam tulerat trans Styga nauta Charon.*
*Verùm etiam ipſe,Lycæi altus penetralibus, audis*
*Socraticæ meritò firma columna domus.*
*Cœlorúmq; ſupra gemmantia templa frequenter*
*Scandis olorino remigio Vranies,*

*Vranies,*



*Vranies,quæ ità mactauit tuum honore auguſto*
*Nomen,ab Heſperiis Indica ad vſq; vada:*
*Somnifera vt nunquam Lethes aſpergine tangi*
*Sit potis,aut genuino Inuidiæ eſſe cibus.*
*Vſq; ſed exurget veluti Cythereïa myrthus*
*Conſita cryſtallo lympha vbi eunte nitet.*
*Naïadúmq; manus quam lacte rigat tenerè,& quam*
*Solis alit verni viuida temperies.*
*Dum loquor:en,adſunt propero reliquo ordine Muſæ,*
*Et ſibi totum etiam te aſſeruiſſe volunt.*
*Nec minus accurrit Veneris ſecta aurea ſanctæ,*
*Et ſibi te iniectis vindicat articulis.*
*Virginea,hà,mihi parce phalanx:non veſtra ego iura*
*Partibus ex vllis diminuiſſe ferar.*
*Sum ſponſæ ſimilis,quæ ſertum vbi texere amanti*
*Quærit,& in ſaltum,floriferum vndiq;,abit:*
*Stat dubia,& quos præcipuè,& quos prima colores*
*Expediat niueis demetere vnguiculis.*
*Rem vobis igitur dignam vultis facere?eia*
*Accipite hoc pecten,hanc citharam,optimæ Heræ:*
*Et canite æquiualens Brucæo,pro me,epos.ipſe*
*Interim id arbuteis ſcalpſero corticibus.*

## AD HVGONEM DONELLVM.

## ELEGIA V.

*INdomito quanquam ærumnarum turbine raptus,*
*Paulatim inſolita morte,Donelle,necer.*
*Nec poßim Aonidas in vota ciere Sorores,*
*Dignum & honore tuo quid reperire ſatis.*
*Attamen hoc verſu volui te inuiſere,amoris*
*Ne tibi non conſtent priſtina ſigna mei.*

*Barbaricæ nec enim regio facit extima terræ,*
*Intereunt verno vix vbi Sole niues:*
*Ventilet vt lentè hoc in corde facem Dea, ſolui*
*Quæ metuente ligat pectora bina iugo.*
*Perpes adhuc in te ſed viuo, & ſic tua perpes*
*Ora meo graphicè ſeruo animata ſinu:*
*Vt licet aßiduè furiali Ixionis orbe*
*Circumagerer, Tityi aut tunderet ilia auis:*
*In media nomen cruciabilitate tuum, ore*
*Non eſſem meminens non iterare tamen.*
*Me ſiquidem à puero haud aliter complecteris, ac ſi*
*Tu te pater, natus vnicus ipſe forem.*
*Et, veluti implumem inuitat ſobolem anxia mater,*
*Vt nido pedetentim exiliiſſe velint:*
*Moxq; propinquo auſint reſilire hinc indéq; ramo,*
*Ventoſa & tandem ipſum aëra inire fuga:*
*Sic tu ſic iuueni mihi duxq; comesq; fuiſti*
*Ad iuga, per ſalebras, per tenebroſam & haram:*
*Ad iuga, non raptim tunicatæ plebis vbi ingens*
*Turba procelloſo pro arbitrio omnia agunt:*
*Ac vice Iuſtitiæ quam, neſcio, imaginem adorant;*
*Quæ de Iuſtitia nil niſi nomen habet.*
*Ad iuga verùm ea quæ inuenere tui & calcarunt*
*Cœleſti primùm dexteritate pedes.*
*Magno & vbi datum eos latices deplere tibi hauſtu,*
*De quibus ante bibit vnica & vna Themis:*
*Alma Themis, nec tacta oculis mortalibus, ex quo*
*Tellurem opplerunt Deucaleonis aquæ.*
*Cui ſimul ac viſus, tibi mox labio oſcula mille,*
*Milléq; luminibus oſcula vtrinq; tulit.*
*Fatáq; ſic: Secli ô prior huius adorea ſalue,*
*Miraclum imò hominum, delitia imò Deûm.*
*Ipſe*



*Ipſe enim es, auſpice quo per latiuium aſſerar orbem*
*In decoris veri priſtina iura mei.*
*Quiq; nouo poteris dare cuncta piamine peſſum,*
*Quæ propter numerò deſerui anteà humum.*
*Salue ergo. & meritos etiam cape mactus honores:*
*Hũc baculum, en, manibus: hoc ſtrophiũ, ecce, comæ.*
*Dixit. & Eois ſceptrum hinc venerabile conchis,*
*Indéq; Iaſpidibus donat habere tibi.*
*Sceptrum, viroſos præſens infringere morſus*
*Temporis, Inuidiæ & diminuiſſe caput.*
*At ſtrophium variis plexum de floribus aptè,*
*Vicino implebant qui vndique odore locum.*
*Floribus, ipſa quibus Capricorni hyemantis obeſſe*
*Stella nequit, calidæ ſtella nequitq; Nepæ.*
*Floribus, applicuit quos vt quis crinibus, haurit*
*Diuinas artes de ſubito omne genus:*
*Et quicquid Natura tegit, visq; inſita Fato,*
*Cernere dat clarum poſſe repentè diem.*
*Mox, tibi vbi Aſtrææ monitu Sapientia dextrum*
*Texerat, at læuum Peitho operoſa, latus:*
*Aurea cum alatis acceßit Gloria bigis,*
*Inq; illis voluit te alta per aſtra vehi.*
*Hac Charitum anteibat generoſo triga volatu:*
*Hacq; ſequebatur Muſa nouena rotas.*
*Dedita ſed Iuſtæ gens Diuæ ità plaudit, vt ipſi*
*Præſtrepitu poßint vix bene progredi equi.*
*Felicemq; vocant terram Cabiloniam, vbi olim*
*Vagiſti tenero primitus ore puer.*
*Inſtituuntq; tuo lucem de nomine, odore*
*Cui faciant thuris, cui faciantq; mero.*
*Hà, quod Parrhaſij non præſto eſt dextera, more, aut*
*Fingere Lyſippi ſigna animoſa queo!*

*Reſtet Honoratus nuſquam angulus vllus in orbe,*
*Cui iam haud ſint facta hæc dictaq; nota magis,*
*Quàm cunctis tunc ſunt terra pelagoq; futura,*
*Quum cerni humanis ſe volet Æqua dea:*
*Vt digno ore tuas per laudeis latè eat, inq;*
*Cœleſteis narret tot benefacta tua.*
*Tunc te etenim ad cælos in nube, Donelle, ſerena*
*Suſtollet, Sidus eſſe dabitq; nouum:*
*Sidus quod radiis omnes fulgentibus oras*
*Clarabit, nullo tempore eritq; nocens.*
*Gaudia verùm ægris ſemper mortalibus, atq;*
*Abſq; calore dies, frigore & abſq; genet.*
*Quod tamen vt fiat demùm poſt ſecula trina,*
*Quiſq; petit cui cor de meliore luto eſt.*
*Ipſeq; ego ante alios, qui quum te heîc ſoſpite, viuam:*
*Non quoq; non poſſem, te hinc abeunte, mori.*

## AD RVMOLDVM HOGEBESIVM.

### ELEGIA VI.

*SIc eſt. cura tenet Naturam ſumma, Iouemq;*
*Vt certo Siluas tempore nudet Hyems:*
*Vtq; coquat Cererem flammata Canicula, Tauri*
*Lilia & è cornu Vere, roſæq; fluant.*
*At non hic quoque ſollicitus, neq; ſollicita illa*
*Vel prodeſſe bonis, vel nocuiſſe malis:*
*Sed Sorti rerum humanarum ſceptra dedere,*
*Quæ quoq; pro libitu nos regit vna ſuo.*
*Inq; nouans vultum aſsiduè, ſic omnia verſat,*
*Perpetuum vt toto reſtet in orbe nihil.*
*Hoc ego ſi poſſem, Rumolde negare, perennis*
*In luctu non nunc, in lacrimiſq; forem.*

Et



*Et nimiùm procul à laribuſq; opibuſq; paternis,*
*Sub gelido caſſus viuerem honore polo:*
*Heîc, vbi ad arbitrium alterius fari omnia, ſcire*
*Cumq; veternoſa plebe neceſſe nihil.*
*Heîc, vbi ſi inceſſu vultuq; tumente ſuperbus*
*Eſſe nequis, aliquo vlli in pretio eſſe nequis.*
*Heîc, vbi ſummateis primarius inter amicos,*
*Princeps, ſuffundat qui tibi frigidam, erit.*
*Vah! quantum hi diſtant mores à moribus, aies,*
*Belgica queis vti terra fruiq; ſolet!*
*Immanè hà certè: tantoq; ferocior ægrum*
*Curarum Oceanus cor doliiq; grauat.*
*Nulla tamen de mille ità mentem crux animi angit,*
*Abſens quàm facie quod, Charitæe, tua.*
*Et meritò. nam animo mihi cordeq; amicior omni,*
*Tempore iam ex illo tuie reapſe cluis:*
*Quô nos ſub tecto fatum coniunxit eodem,*
*Velle & Amor vnum Nolleq; habere dedit.*
*Ingenioſus Amor, fraudis tamen inſcius, aurea*
*Cui Virtus mater, Mercuriuſq; pater.*
*Principiò ille quidem nanus, ſed creuit vt ignis*
*In Silua incautè qui excidit Agricolæ.*
*Paſcitur iſte rubos primùm fruticeſq;, at vbi auctus*
*Flabris ventorum, fulget, & æthera adit.*
*Arboribuſq; vagans, non antè quieſcit, aduſta*
*Fiat inornatè quàm nemus omne cinis.*
*Quod ſi tempore adhuc paulo, conuiuere vtrunq;*
*Effera vis Martis Forſq; dediſſet hera:*
*Vix nomen Pylades, vix Theſeus nomen haberet.*
*Illaq; Damonis gloria ſtaret iners.*
*Nunc quid? cũcta ſopor quum membra ſubibit ahenus,*
*Noſtraq; trans Stygias Vmbra natabit aq...*

G iii

Vmbram itidem paſſu celeri ſua fama ſequetur,
Deq; putri Lethes gurgite prona bibet.
Certè fama mea haud forſan, Charitee, tua olim
Incaſſum nec enim de pelago orta Dea
Naſcentem aſpexit formoſo oculo, ac tibi iuſſit
Nectare & ambroſia labra fouere Charin.
Nec Themis incaſſum, incaſſúmq; Actæa Minerua
Te voluere ſuis ſtertere poſſe adytis.
Nempe, ſacra de parte tui Libitina feretro
Nil capiet. clarum ſed tibi nomen erit,
Et manè Auroræ quà Lucifer excitat ignes
Et iuga quà Titan veſpere ſoluit equis.
Dum loquor, ecce ala plaudunt genitricis Olores,
Æneadum, hæcq; iubent vota mea eſſe rata.
Macte igitur (nec enim inuideo Rumolde) & amoris
Si tibi adhuc ſupereſt priſtina cura mei:
Poſtquam me peregrè hoc extinctum audibis in orbe;
Viuere namq; diu non mihi Morta dabit.
Ceſpite de viridi quadratam conſtruito Aram,
Plurima obumbratas arbore propter aquas:
Quam ſuper excreſcat Phœbo gratiſſima laurus,
Atticæ vbi aſſiduò dulce querantur Aues.
Taleq; Vicino ſculpatur cortice carmen:
Hæcce Gruteriadæ ſunt monumenta necis.
Qui niſi in extrema Iuuenis, regione, periſſet.
Ad vitam, Aræ huius non eguiſſet ope.

---

AD IANVM DOVSAM I. F.

ELEGIA VII.

HÆc tibi non caltis extremi è finibus orbis
Mittitur à patrio, Douſa, Sodale ſalus.

Si modò



Si modò, ſi rectè mitti quicquam pote, cuius
Copia nulla, imò ſpecula nulla ſibi.
Perpetim enim in fluctu, fluctúq; potente Dolorum,
Iam milleſima vix ingenij, vmbra mei:
Numina ſupplicijs Hecates tantum vnicè adoro,
Eas ſtatim vt ire mihi non remeabile iter.
Nam vita quid opus, laribus ſi exactus auitis
Ætatem in media contero Barbaria?
Hîc, vbi non pluris fio, quàm de lapide emptus,
Telluris ve ægræ non tolerabile onus.
Et talis mereor iam nunc fortaſſis haberi.
Sed quando vſpiam Hyemps protulit vlla roſas?
Aut quando Alituum cecinerunt guttura blandè,
Vi Boreæ atq; gelu latè agitante nemus?
Debuit, hà, in pretio heîc mea non ſecus eſſe iuuenta,
Belgarum nuper quàm regione fuit.
Sic quoque ſic non ſunt leuiore in honore ruinæ
Fanorum, quàm altè ſtantia templa, pijs.
Scæuus at auſtero me aſpexit Falcifer ortu
Filáq; Parca dedit vitæ inamabilia.
Si non: me Bataui cœli aura benigna foueret,
Hæreréмq; tui Patris adhuc lateri.
Imbibere atq; auida tua ſæpius aure iuuaret
Tinnula mellifluo pectine fuſa mele.
O ſupra ætatem verè ſapiens Puer! ecquis
Donat tam culta ſcribere poſſe tibi?
Haud tantum certè potis ars præſtare magiſtra eſt
Ingeniúm ve ſagax, iudiciúm ve potens.
Anne velut Thuſco vates hara editus, omnia
Ipſo naſcendi doctus es articulo?
An Pater Infantem potius te ſtertere in altis
Parnaſi duxit, Iane, cacuminibus:

Captæq́; Aonides Vultus tui amabili amore,
Luſtrarunt blandis vndiq́; luminibus?
Sic eſt. moxq́; tibi Clio Permeſide lympha
Ambitioſa omneis abluit articulos.
Exceptumq́; deinde ſinu fragrante, ſonoro
Gutture ſomniferos eſt meditata modos.
Sopitumq́;, leui impoſuit curru, agmen Olorum
Quem citò frondoſum traxit ad Idalium.
Quò ſimul ac ventum, duplici ſtipata ſorore,
Circauit te arctè Gratia brachiolis.
Suſpenſáq; manu tangentes pumila membra,
Te ſub puniceis ccculuere roſis.
Parui etiam, ſed non paruarum virium, Amores
Exhibuere omnes delitiasq́; tibi.
Talem & eorum vnus cecinit lingua vbere verſum:
Creſce, Puer, montis fama futura Paphi.
Creſce puer. proſitq́; illo genitum eſſe parente,
Europæ per quem noſtra habet orbe Venus.
Per quem blanda trias Charitũ, gensq́; ampla Leporum
Eripitur tetris Inuidiæ tenebris.
Namq́; fatebor enim: penè omnis gloria Matris
Peſſum ierat, noſtrum peſſum ierátq; decus:
Quum venit, impoſitóq; pede Ignorantiæ ouantis
Fortiter obtriuit térq; quatérq; caput.
Et maieſtatis nos iura in priſtina Victor
Reſtituit, ruptis vndiq; compedibus,
Queis vincti nimium nimiúmq; tenaciter omnes,
Quib:mus cœlo haud liberiore frui.
Creſce ergo. tibi namq́; dabit crinitus Apollo
Tam blandè digitis ſollicitare fideis,
Vt tecum fruſtrà certent Seiredones, Orphei
Luiſq; ſuper Ciconum nulla ſit in ſiluis.

Atq;



Atq; aliquis micida captus dulcedine, clamet,
Aut diſcet numeros hos, docuit vel Amor.
Aliger hæc infans: cuius ne dicta refutes,
Pubere vix æuo digna ſonas ſenibus.
Suadæq́; illecebris antiſtas omnibus, orbe
Natali quotquot Muſica ſacra colunt.
Macte igitur: tenerámq; imitare, tenerrime, laurum;
Sedula quam riguo Nympha fouet latice.
Illa quidem primo ſe quaſuis motat ad auras,
Impatiénsq; æſtus, impatiénsq; gelu eſt.
Aſt vbi adulta magis: latè ardua brachia pandit,
Natiuúmq; capillo occupat omne nemus.
Et tonitrus ſecura, Hyemis ſecura malignæ,
Vmbra ſit alitibus, vmbra ſit agricolis.

---

## AD IOACHIMVM TONAGLVM.

### ELEGIA VIII.

SI me natali Lacheſis non ſpreneret vrbe,
Et mori in auſtera cogeret Exulem humo:
Curáve anhelanti ſtipata dolore, vaciuum
Alacrimis ſpatium diuidiáq; daret.
Munia amicitiæ haud toties, Ioachime, negarem,
Sponte tuo at canerem carmine fauſta toro.
Carmine quod doctæ forſan faceret ſatis auri,
Imbuerétq; ſui nectaris imbre Venus.
Quale frequens in adulto Hagani gramine Luci
Tinnibam auſpiciis, Douſa diſerte, tuis.
Qualéq; facunda, Lipſi, mihi voce præibas,
Heic vbi Lædam humili Rhenus inerrat aqua.
Tunc ego magnus eram, ac cerebro pregnate genebam
Mortéq; & Inuidiæ viuidiora minis.

*Tunc ego inacceſſis hauribam è fontibus vndas,*
*Pindi alioq́; mihi calle patebat apex.*
*Primus & ad Citharam Patrio Sermone aptabam*
*Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.*
*Nunc, calor ille abiit, veluti de torre fauillæ*
*Qui ſuper iniecto forte liquore madet:*
*Ipſeq́;, vt Harpocrates alter, digito labrum vtrumq́;,*
*Ne pote ſit quicquam dicere lingua, premo.*
*Sic vbi Hyemps viridi viduat nemora ardua veſte,*
*Dauliadum clauſo gutture ceſſat epos.*
*At quid? adhuc inſtas? Alcidæ Gallici & inſtar,*
*Fur animo validè me attrahis ore tibi?*
*Ergo, age dulce caput, malè biulcæ ſibila auenæ*
*Suſcipe, dum in Sponſam ac te omina læta iacit.*
*Omina nulla nocent. certè non omina eorum*
*Quos Clarius feriit œſtro aliquando Deus.*
*Felicem ô verè te terq́; quaterq́; Tonaglum,*
*Iammodò nunc præfert cui faculam igneam Hym.*
*Ales Hymen, nuptusq́; hilari iuuenalia thyrſo*
*Tempora, Acidaliis vſq́; petito ab agris.*
*Nec ſolùm Vranies natus præſto tibi. fallor?*
*Omnis an heîc cæli flos tibi adeſſe venit?*
*Nempe venit. viden' vt contingi Mnemoſynarum*
*Se claro haud renuat lumine triga triplex?*
*Sublustri viden' vt, velatus Iacchus amictu,*
*Suſtineat pura ſerta hederoſa coma?*
*Ecce. vacillanti puer ille Cupido volatu,*
*Ingredientem auida voce te Auere iubet.*
*Remigióq́; leui alarum ſuauem ampliter vmbram*
*Obiicit, à facie diſcutit atq́; Notos.*
*Ecce Cypri Regina Cycneis vecta quadrigis*
*Cui Iocus à latere hinc, cui volat inde Charis.*
*Deſuper*



*Deſuper in ſponſæ inuertit caput omnium odorum,*
*Et florum omne, manu luxuriante, genus:*
*Atque ait: ô puro in lucem edita ſidere macte,*
*Gemma diémque iſtam perpetuò Inda notet.*
*Macte, inquam, mulier ſortita marita maritum,*
*Cui cor ineſt fictum de potiore Luto.*
*Cuiq; fauor ſemper propè adeſt cœleſtium, & in quem*
*Non ſua ſunt parci fundere rara bona.*
*O, tibi quàm ripas ſuperabit lætitia, illis*
*Ipſum vbi iam aſpicies eſſe in honore viris,*
*Per quos hæc gelido tellus contermina ponto,*
*Cecropias artes Romulidûmq́; ſapit!*
*Qualis cui tot ſeſe animarum millia debent*
*Memmius, à Styge quas Pœoniâ excit ope:*
*Qualis honoratæ excellens Sapientiæ alumnus*
*Caſelius, merus & idem Aganippidum amor.*
*Qualis Apollinei gregis ille Chytræus ocellus*
*Tranſtulit ipſa in quem ſceptra Moneta ſua.*
*O quàm exultabis, quum quicquid in vrbe Bonorũ eſt,*
*Optabit thalamis proſpera quæq́; nouis!*
*Et quàm præ ſponſo tunc bacca freti ignea rubri*
*Vile erit omnis, erit vile Arabûmq́; ſeges,*
*Quum tibi more columborum, oſcula longa labellis*
*Infiget, ludet linguáq́; in ore duplex!*
*Quum tibi! ſed taceo. meq́; ad te verto Tonagle:*
*Doq́;, quod integro pectore, munus, ames.*
*Hà, munus quis tale lubens non præferat omni*
*Perſarum imperio, fluminibusq́; Mydæ?*
*Hà, munus quis tale oculis haud diligat ipſis?*
*Diligat imò ipſo corde animáq́; magis?*
*Sic eſt, mille legas quamuis è millibus vnam,*
*Nulla, huic quæ antiſtet, ſpes reperire tamen.*

*Aſpice,vt ingenuo caſtus Pudor emicet ore,*
*Splendeat & roſeâ è fronte ſerena Fides.*
*Aſpice,vt in gracili ſit honeſta modeſtia greſſu,*
*Melláq; de blanda voce repente fluant.*
*Sed neq; tu aſpicias ſolùm hæc,verùm vtere. quid? nõne*
*Natura,heîc pro te ſtat quoq; amica,parens?*
*Dum citius vada inire iubet Mauruſia Solem,*
*Noctis vti longæ gaudia plura feras?*
*Præſta te ergo,Tonagle,virum: lecto inq; patente*
*Sentiat ô ſponſum ſponſa ſe habere ſuum.*
*Détq; breui natos Lucem Lucina tueri,*
*In queis cognoſci poſſit vterq; parens.*
*Hæc Venus. at numeroſa phalanx mox plauſit Olorum,*
*Cum ſtrepitu dum alam dexterè vtrinq; mouent,*
*Ingeminántq; nouo cordata meliſmata cantu.*
*Fallor? an & mihi adhuc hæret in aure ſonus?*

## AD FREDERICVM SYLBVRGIVM.
### ELEGIA IX.

*Sylburgi dilecte mihi,dilecte puellis*
*Mnemoſyne peperit quas ſociata Ioui.*
*Quàm bene,Germanus quod te vnũ inuenerim in oris,*
*Qui mea non ficto commoda pectore ames:*
*Inq; Deam dicas mala pluria verba, volanti*
*Vſquam non docilem,ſtare aliquando,pede.*
*Sed docilem tamen altè è cœno efferre nocenteis,*
*Semper & impoſita calce grauare bonos.*
*Per quam,Terpſichores ſi repere luſtra liceret*
*Denſa mihi,& Clius tollere fonte ſitim:*
*Iſta tua officia haud vnquam,hoc,aut ſerius Æuum*
*Nigropeplæ tegeret Noctis biante ſinu.*
*Quotquot*



*Quotquot enim arboreas Heliconis vertice plantas*
*Cernere ouante foret luxuriare coma:*
*Scalptæ totidem gererent Sylburgia apertè*
*Nomina,feciſſet quæq; benigna mihi.*
*Nunc ego nil poſſum,niſi mentem animi deuotam*
*Offerre,& grateis largo agere ore tibi.*
*Eſto his contentus,donec fors venerit ætas*
*Afflabit noſtram qua aura ſecunda ratem.*
*Quaq; iterum in patriã,mea ſplẽdida regna reducar,*
*Scaldis vbi Atvaticos lambit honorus agros.*
*Quod ſi cœlorum Dominus ità amicum,vt acerbas*
*Iniiciat iuueni Mors mihi auara manus:*
*Tunc vos ô fidi,cariſſima pectora,Amici,*
*Efficite ingratus ne vocer ipſe cinis.*
*Vos inquam VVilti,Brucæe,Morete,Buæſi.*
*Raphlengi,Caſtri,Pollio,Eſinga,Veni.*
*Rolandi,Schurmane,Roſendali,Harixma,Fauoli,*
*Bonti,Hogebeſi,Huerni,Beyma,Tiara,Beti:*
*Gallio,Marnixi,Lipſi,Cantere,Vtenhoui,*
*Orteli,Suſſi,Douſa,Mekerche,Leo:*
*Ne ſinite vt veſter,quoniam immaturus obiuit,*
*Audiat externo Ciuis in orbe malè.*
*Verùm operam date vti taceat Sylburgius,atq;*
*Teſtetur factum iam ſatis eſſe ſibi.*
*Sic mihi non ità ſit graue ſub gelido axe moriri:*
*Sicq; lubens in nox Ditis opaca petam.*
*Quanquã,quorſum ego & hæc? certè rerũ omniũ egeno*
*Non hominum durus creditor vllus erit.*
*Nedum,tu Frederice,olim penetralibus alte*
*Semper vbi Sapiens gaudet habere Dea.*
*Quemq; ità demoritur toto enthea pectore Peitho,*
*Tantillum à labris nolit vt ire tuis.*

*Nedum tu Speculæ, Frederice, Heliconiæ alumne:*
*Cuiq; Paphi Princeps ſemper adeſt & Amor.*
*Hà Venus, hà Veneris ſoboles generoſa, ſacerdos*
*Veſter ego ſi vſu mancipióq; fui.*
*Tunc, mihi quum puro fulgerent lumine ſoles:*
*Sacraremq; meum nomen in arce Gnidi.*
*Hoc miſero date adhuc: magis vt Sylburgij in ære*
*Quò fuero, hoc ab eo diligar vſque magis.*
*Fallor? an audio Olorum, nõ procul hinc ſtrepitũ? euge,*
*Annuit ipſa Venus, annuit ipſus Amor.*

# IANI GRVTERI MANIVM GVLIELMIANORVM

## LIBER VNVS.

### AD LECTOREM.

*Carmina qui quæris genium ſapientia Clius,*
*Abluit inq; quibus Cypria ſecta manus:*
*I procul. huc at ades cui Cura & Lacrima cordi:*
*Deq; ſepulcrali rapta querela fore.*
*Manibus hæc ſunt ſacra Deis: mihi gloria nulla*
*Poſcitur heic, nullus poſteritatis honos.*
*Cordis enim vt rupit clauſtrum dolor anxius, arctis*
*Ceu rumpunt ſeptæ finibus, aggerem, aquæ:*
*Sufficit aſsiduò triſteis profundere quæſtus,*
*Ægri inſtar, cui mors nulla vocata venit.*

IANI



# IANI GRVTERI MANES GVLIELMIANI.

### AD IANVM GVLIELMIVM,

### Depoſitum. I.

*Ergo carceribus iuuenantis Gloriæ in ipſis*
*Te, Gulielmi, hauſit Somni homicida ſoror?*
*Spémque illam anguſta tecum ſepeliuit in vrna,*
*Quâ pridem implebas orbis vtrunq; latus?*
*Sic heu, ſic viridi quæ luxuriabat ariſta,*
*Succumbit pluuio de ſubitò imbre ſeges!*
*O Sortis nimiùm ſcæuæ glaciale cor! atri*
*Sideráq; ô nimiùm cœli inamabilia!*
*Tollitis in primo lactentis flore iuuentæ,*
*Deiphobes dignum vincere puluerem anus.*
*Dignum, inquam, mores ſiue inſpiciantur, & illa*
*Quæ vel Saturni tempore rara, Fides:*
*Seu numeroſarum exundans vis Doctrinarum,*
*Hauſta & Athenarum, Romulidúmq; libris,*
*Qui ſeclo nullo moreretur, at omnibus eſſet*
*Quà vitæ exemplar nobile, quà ingenij.*
*Veráne Mnemoſides vox profert, veráne Pallas?*
*Ah, ite. veſtra horum & lacrima teſtis adeſt.*
*Lacrima, quæ ex oculis nihilo moderatius vndat,*
*Quàm qui præcipiti monte cadunt latices.*

Hâ fruſtrà. tunc omnimodos pallere colores,
Calfacere & ſalſis ora decebat aquis:
Quum fremeret circum caput illi forfice Clotho.
Sterneret & Libitina officioſa thorum.
Quis ſcit, an haud veſtri ploratus, fractáq; verba
Feciſſent Furiis molle, piúmq; iecur?
Námq; Dolor quid ſit, iam ex illo tempore norunt,
Thracis ad accentum quò ſtupuere lyræ:
Sepoſitáq; colo, tantum non, à Duce Auerni,
Orauere palàm pro ipſa abitum Eurydice.
Sed quid ſtã propriã mortẽ haud veſtrã vlla timebat.
Siq; metus quis erat, pro ſene ſolùm is erat.
Non malè. ſi fatis tantùm auferrentur iniquis
Albeſcente quibus tincta colore coma eſt.
At non ſollicitè articulis Mors computat annos.
Tangere quem geſtit falce ſua, ille ſenex.
Ille ſenex, quamuis modò iam lanugine ſparſus
Mentum: imò quamuis vix bene lallet adhuc.
Præcipuè ille ſenex, cui de meliore metallo
Mentem animi finxit filius Iapeti.
Audacterq; caput qui humana ſupra omnia tollit,
Et Sophiæ propius ſe inſinuat domibus.
Hinc tu, Iane, cadis melior quo, vel mage doctus
Non ſub lumine erat omnipatente Iouis.
Hinc Muſarum, inquã, illa extingueris aurea Lãpas,
Patrimæq; cadis virginis altus honos.
O ſcæuæ Sortis nimiùm glaciale cor! atri
Sideráq; ô nimium Cæli inamabilia!
En facinus veſtrum. en en illa vt Muſica Seiren,
Iam non effundat melliflua illa mele.
Et tamen, en, vt adhuc ſit tincta gena vtraq; ei oſtro:
Extremúsq; micet nunc quoq; in ore decor.

Sic



Sic Phœbi eſſe ſolet lumen iam idmq; cadentis:
Ictus Apro, Veneri talis Adonis erat.
Hà quis nunc oculi poſſet cohibere fluorem?
Hà, cui nunc non ſingultibus ora hient?
Fundite iam Muſæ, lacrimas iam funde Minerua.
Non tam, quod iuuenis per tenebroſum it iter:
Sed quod opem neglexiſtis ferre illi, vbi nondum
Spes rediturae omnis fracta ſalutis erat.
Fundite iam ô Muſæ, lacrimas iam ô funde Minerua.
Non tam, quod iuuenis per tenebroſum it iter:
Quàm quod Anus naſum veſtrum latuere: proléq;
Trinæ, Numinibus impoſuere decem.
At tu cinge triumphali nigra tempora taxo
Mors citò, & admiſſos fortius vrge, age, equos.
Nam ſi vnquam exuuiis onerata fuit tibi opimis:
Exuuiis tibi opimis iam onerata rota eſt.
Siq; hominum gaudes lacrimis, gemitúq; Dearum:
Parta tibi in longas gaudia Olympiades.

## AD CVPIDINEM. II.

Alate Cypridos puer. quid præpete
Sic findis aëra impetu?
Te & iſte quid Currus (Columbæ quem trahunt
Paſſerculúmq; exercitus)
Indeſinente perſtat inſequi gradu?
Axémq; quid Myrthus grauat?
An tu quoque ad Gulelmiana funera
Recto ire pergis tramite?
Libétq; cippi ponere inclyti in iugo
Tuæ ſacram Matri arborem?
Factum ô bonum Cupido. enim illo amicior
Ecquis Parenti, & Gratijs?

H ij

*Per alta celſi, quum Paphi cacumina*
*Gnydiq́; ſaltus herbidos,*
*Suaue illud entheo ore promeret melos:*
*Quo cor ita increuit Roſis,*
*Vt non modò omne florum & herbarū genus,*
*Præ eis ſit deſpicatui:*
*Sed prouocent, ipſa Hippocrene iudice,*
*Apollinarem lauream.*
*Ergo i, Nepotule ô Iouis, fauſto pede ad*
*Gulelmiana funera.*
*Ibiq́; tu, comata Myrthe, celſius*
*Ramoſa tolle brachia.*
*Canisq́; Sidus peſtilens, & ninguidæ*
*Defende Brumæ iniurias.*
*Tuisq́; vbi Fauonij optima alitis*
*Aura incubabit frondibus,*
*Vocaliore accentu, ita in laudeis mei*
*Erumpito Gulelmij:*
*Vt nil ſonent valles, ſonent nil montium*
*Vicina Cœlo culmina,*
*Siue orta lux, ſeu biga Noctis orta, quàm*
*Gulelmius, Gulelmius:*
*Viantiumq́; eat frequens in auribus*
*Gulelmius, Gulelmius.*
*Sic ventulo inſpirata arundo, mobileis*
*Quondam Mydæ aureis prodidit.*

---

## AD NATVRAM. III.

*Hà Natura, Deûm merè flos, qua haud doctior vlla*
*Diuerſi generis flammâ animare lutum.*
*Fruſtrà ſeponas poſthac pulcerrima quæque*
*Inde bonâ vt formes materie inclytum opus.*





*In nullum ſiquidem propero mage Mors ruit vngue,*
*Quàm in fictum rara materie illud opus:*
*Vin' tu hominem fabricare, diu cui viuere fas ſit?*
*Incipe, age: & fruſtum ignobile ſumito, Humi.*
*Neglectimq́; illud ſit talibus imbuere Auris,*
*Therſitæ imbueras qualibus ante caput.*
*Mox, vbi id haud Parcis ſuſpectum videris, illi*
*Effigiei aliam tunc animam inde, Dea.*
*Sin tot ſqualenti non fas bona credere arenæ:*
*Candidiorq́; tibi ante omnia, gleba placet.*
*Tunc mihi cingatur validè chalybum genere omni,*
*Veſtis eam & circum ſpiſsè adamantina eat.*
*Vndiq́; vel tali claudatur & vndiq́; rupe,*
*Lædere quam Mortis nulla ſagitta queat:*
*Vel ſi, non poteſit tamen expugnare, priuſquam*
*Tranſierint æui ſecla quaterna quater.*
*Sed quid ego? Iſta magiſteria, aut nihilo inferiora his,*
*Sufficiſſe ſuum, ah, tunc tibi tempus erat:*
*Nondum vbi adhuc Gulielmiades famulantia Diti*
*Colla dabat, tuus aſt, Diua cluebat amor.*
*Nūc, tuæ opes ità ſunt in eum effuſæ ampliter omnes,*
*Nil ferè vti reſtet de meliore nota.*

---

## AD IOSIAM MERCERVM. IV.

*Si qua dies vnquam pullo damnanda lapillo,*
*Et fuit in lacrimis ſi qua terenda dies.*
*Illa dies certè pullo damnanda lapillo,*
*Et fuit in lacrimis illa terenda dies:*
*Qua male perdidimus noſtros, Gulielmium, amores,*
*Mercere ô Phœbi, ô Mercurij acer honos.*
*Eius enim interitu interiit mihi dexter ocellus,*
*Cordis & interiit portio magna tui.*

*Quare, age funereæ frenatum fronde capillos,*
*Communis ſocium me, ecce, doloris habe.*
*Et lacrimabilibus dum pulſo omnem æthera verbis,*
*Tute etiam increpita voce chelyq; Deos:*
*Qui iuuenem, quo nil veniens Sol vltimo ab Indo*
*Dulcius aut melius aſpicere vſpiam amat:*
*Falce venenata Mortis temerè obtruncatum,*
*Miſerunt Lethes amne lauare pedes.*
*Heu, quis Cœlicolas tranſuorſos liuor agebat?*
*Tunc vbi erat pietas? tunc vbi erátq; pudor:*
*Matris vbi florem illum amplexibus auellebant,*
*Et voluere auſtera in regione mori,*
*Qui nondum auguſtos patefecerat oris honoreis,*
*Sed ferè adhuc calycis tegmine opertus erat:*
*Et tamen omne genus florum qui anteibat odore,*
*Florúmq; anteibat omne colore genus?*
*Hà peregrè in dura moreris, Iane, aduena terra:*
*Tam procul à patria, tam aq; ſorore procul?*
*Tam procul à caróq; propinquorum alloquio omnium,*
*Fidam vbi languenti non tulit vllus opem?*
*Nullus vbi finxit placitura tibi auribus, vltrò*
*Nullus vbi nutus quiuit obire tuos?*
*Hoc, hoc, Iane, tuâ, hà, multò, hà, mihi acerbius ipſa eſt*
*Morte, licet tua ſit mors mihi acerba nimis.*
*O Mercere! ergo Cœlorum ita te oderat ordo,*
*Illius haud poteras vſq; vt adeſſes thoro?*
*Tunc equidem præſens degebas oppido eodem.*
*Ipſe tua macie ſed malè niſus eras.*
*Dum calida fibras populatur nunc face Febris,*
*Núncq; repentino lubricat oſſa gelu.*
*Hoc tamen hoc habuit, credo, Mercere ſolatî,*
*Quod fruitus vultu ac voce ſubinde tua:*
*Vidit*



*Vidit &, ex animo te fata ſua atra gementem,*
*Optantem & pro ſe poſſe repentè mori.*
*Aſt ei inerrabat quum ſpiritus vltimus ori,*
*Arripérétq; tibi fortiter inde manum:*
*Luminibusq; tuis oculo propè fracto hæreret,*
*Mente animi qua tunc, conſilióq; quo eras?*
*Ve grandes poterant ſi vllum extinxiſſe dolores,*
*Debueras illa luce etiam ipſe mori.*
*Sed benè, quod tibi tunc Somni germana pepercit,*
*Funeris extremo ne ſine honore forent:*
*At Manes Gulielmî alta ter voce cieres,*
*Moxq; parentaret lacrimis mixta mero.*
*Et pro magmentis, ſacróq; piaclari, vdam*
*Concineres tumuli næniam incute fores.*
*Omnia ritè tibi quæ quum, Mercere, peracta,*
*Quid reliquum eſt, niſi ſis mortali vt vſq; memor?*
*Carminis ac clari, ſolui metuentibus alis,*
*Nomina celsè eius per loca cuncta vehas.*
*Quaq; ſuis tollit fumantia lora caballis*
*Phœbus, ab Eoa quáq; reſurgit aquas?*
*Nam, Mercere, potes. nec enim fruſtrà aliger infans*
*Te puerum duxit ſtertere monte Paphi:*
*Atq; ſatellitio Veneris complexus es vlnis,*
*Paſtus & ambroſia, nectareáq; dape.*
*Nec fruſtrà iuuenem vidit bona ab arbore Apollo,*
*Luſtrauit Orphei baccare dia parens:*
*Et fore pollicita, qui rem Latiam atq; Pelaſgos*
*Non æui ſineret dente furente teri.*
*Ipſe at ego, ingenij ac genij infelicis homullus,*
*Qui metuo reſidem tollere verticem humo:*
*A luce exoriente ad noctem plurimam, acutè*
*Trunca ſuper caro funere verba querar:*

*Donec, vt abſumit violens pinguem ignis oliuam,*
*Cor miſero tandem cura dolorq́; necet.*

IANO GVLIELMIO. V.

*Hic Gulielme iaces, viridi quem pube iuuentæ*
*Meſſuit indomitis Mors fera forficibus.*
*O nimium iuuenem, ſi vitæ ſecula ſpectes,*
*O nimium, genij ſi monumenta, ſenem!*
*Ergo quid Autumni tibi erat cum tempore, ſi Ver*
*Autumni primum mitia dona tulit?*

THRENVS. VI.

*Ergo ſeuero cæſariem tibi*
*Triforme Numen diſſecuit manu?*
*Iuitq́; ſub terras profundè*
*Magna tui, Gulielmi, imago?*
*Mollire nigras nec valuere anus,*
*Mens felle nullo liuida? mens Deûm*
*Cultrix perennis? mens profanos*
*Ferre hominum impatiens tumultus?*
*Eheu nimis trux Perſephone! quidem*
*Trux ſemper, eheu, ſad fuit heîc nimis*
*Tua illa dextra trux. & eheu,*
*Tu miſerabile, Iane, funus!*
*Quid nunc, fauenti quod te acie Venus*
*Aſpexerit? Diuæq́; Nouenſiles*
*Pauere diis vagientem*
*Nectaris ambroſiæq́; ſuccis?*
*Quid, quod iuuenta vix bene pubere,*
*Ductus virentis per iuga Libethri,*
*Admoueriſq́; rariori*
*Ora puſilla labro Hippocrenes!*

*Quid*



*Quid nunc, quod ipſa candidius niue*
*Pectus, quid illex quod tibi ſuauitas*
*Condibat & mores ſonósq́;,*
*Quæ tumidos cicuraſſet angueis?*
*Num ob hæc minus Serpenticomas vides*
*Pallens Sorores? Cerberus & tibi*
*Metum rictu iniicit, pedem aſper*
*Dum abluit atri Acheruntis amnis?*
*Adhuc & alba ſpargere humum Roſa*
*Ceſſamus? ac vnguenta capacibus*
*Proferre de conchis? capútq́;*
*Exhilarare meri ſaliua?*
*Huc huc nigrantem quis puer ocyus*
*Curat Falernum fundere de cadis*
*Nondum recluſis? quis domare*
*Rore maris, violáq́; crines.*
*Huc huc vocentur, quæ ad ſtrepitum fidis*
*Cantent puellæ, floréq́; Liberi*
*Edentuli tactæ volanti*
*Proſubigant tabulata planta?*
*Quantum haud iocis impenditur ac choro,*
*Tantum dierum deperit. ergo dum*
*Lubet bono, & licet fruiſci,*
*Vſq́; bibamus, age, vſq́; amemus:*
*Cras forſitan Mors de ſubitò inuida*
*Librabit in nos falcem inamabilem,*
*Trudétq́; Summani ad furentis*
*Præcipiteis carioſa regna.*
*Ludamus ergo dum licet & lubet.*
*Hanc ecce Caluam ſi cerimus breuî*
*Cuncti. quid? imò iam ſecat fors*
*Noſtrûm alicui mala Parca filum.*

AD IACOBVM CVIACIVM. VII.

*Iam lymphata animi mens numine Muſico,auebat*
*Per laudeis latè veliſicare tuas,*
*Cuiaci,Aſtrææ Princeps clariſſime Diuæ,*
*Idem & Atheneæ Pallados vnice amor:*
*Quum fertur noſtros periiſſe Gulelmium amores,*
*Bituri gum ſtiterat vix vbi in Vrbe pedem.*
*Quo rumore ità mox ſteterunt comæ,& intima cordis*
*Vis ſingultato marcida facta metu:*
*Vt chelys excideret manibus,pullúmq; colorem*
*Sumeret,vmbrabat quæ mihi ſerta caput;*
*Iret & in lacrimas,alludere viſa labellis*
*Antè meis,fontis Bellerophontis aqua.*
*Et meritò.nam quis tam pectore ferreo,amicum*
*Vt queat audaci diuidere ore melos,*
*Quum iuuenem primi abreptum de curſibus æui*
*Audit,cui Phœbus,cuiq; fauebat Amor?*
*Nedum vt ego inceptas potuiſſem perſtuere Odas,*
*Fratre meo hinc rapto trans Stygis acra vada.*
*Fratre meo,tot erant cauſæ queis vſq; vnicè amandi,*
*Mirer vt ipſius me ſupereſſe neci.*
*Quin quoq; credibile eſt,Cuiaci,flebili vtrinq;*
*Sæpe tepeſcentem te imbre babuiſſe genam,*
*Dum feretro impoſitum cernis miſerabile corpus:*
*Priſtinus à quo,eheu,fugerat omnis honos,*
*Fugit vt à viola quam bos grauido pede preſſit,*
*Aut,Pueræ quæ aliquo in vepre relicta,roſa.*
*Ploraſti,hà certè multúmq; diúq;:repente*
*Non modò tunc Mortis quum iaculo ictus erat:*
*Querquera ſed primum quum Febris ei omnia mēbra,*
*Nunc æſtu quateret,nunc quateretq; gelu.*
*Inuidiámq; grauem queſtus Cœleſtium,ab ore*
*Vnquam manauit nil niſi triſte tibi.*



*Hà rectè,magna nam ideo diſceſſerat Vrbe*
*Quam biſido tortus flumine Sequana init:*
*Vt tui honorato frueretur lumine vultus,*
*Tangeret atq; tibi dexteram ouante manu,*
*Cordíq; haurire verba illa diſerta loquentis:*
*Ad quæ non aliter mundo ab vtroq; ruunt*
*Quotquot fulta gerunt radianti corda metallo,*
*Humani ſenſus & quibus vſus adeſt:*
*Quam quondam Herculeis de metis,Romuli ad vrbem*
*Vanus homo,vt Liuî cerneret ora Titi.*
*Non mortale nihil tibi prodit ab ore,ſed ipſos*
*Non temerè poſſit quale decere Deos.*
*Illáq; ſi linguæ poterat pellacia,Morbi*
*Vſq; impuratas cæde,inhibere faceis:*
*Sanus adhuc lumen,Ianus,vitale videret,*
*Mœſtitiæ nobis cauſa nec vlla foret.*
*Sed quid?nulla valet vox flectere nigropeplarum*
*Eumenidum auriculas,ſcitáve dura poli.*
*Vt ſua cuiq; dies venit,ſubitò ire neceſſe eſt,*
*Siue ſeni,iuueni ſiue,vbi Morta vocat.*
*Sicq;,Gulelmi,atræ traberis freta ad extima Lethes,*
*Vita ſit vtq; hominum nil niſi bulla,doces.*
*Heu,heu,Gloriæ obis malè in ipſo limite,creſcens*
*Cúmq; tuo pariter corpore fama iacet.*
*Quid loquor infelix?non.non.heîc,Iane,peruſtos*
*Nil præter cineres Parca lucrata tui eſt.*
*Ardua nam vis ingenij,ſapientiáq; acris*
*Et ſupra ſeclum hoc cum pietate fides,*
*Non vnquam putrefacta grauabunt trāſtra Charōtis*
*Tantillum aut minima nocte prementur humi.*
*Quod tamen vt forſan contingat, tu iuuenem vſquam*
*Cuiaci,ſpolium haud Perſephonæ eſſe ſines.*

*Sed, quod viuenti tunc non impendere quiſti,*
*Adiiciet bonitas manibus omne tua.*
*Conſtituéſq; illi paßim monumenta, Vetuſtas*
*Lædere quæ nequeat, vel pluuij ira Iouis.*
*Verùm quæ prono veneretur vertice Liuor,*
*Et lacrimis quærat ſæpe rigare ſuis.*
*O ità diu velis, Cuiaci, gemma Themiſtis:*
*Sic per Nelidæ tertia ſecula eas.*
*Et ſic vatis agas annos, quam flauus Apollo*
*Ad Veneris fruſtra ſollicitauit opus:*
*Euboicíq; quæ adhuc numerū explet pulueris, æui*
*Nec potis vlla ſui conſtituiſſe modum.*
*Aut potius, quoties grauior grauiórq; ſenectus*
*Ingruit, vnigenam ſic imiteris auem:*
*Inq; rogo ſenium omne tuum feruente relinquas,*
*Mox & adoleſcens effigiere nouus.*
*Quò tu laude tua longum vſq; vtare fruare:*
*Nos te, tótq; tui dotibus ingenij.*

## AD PORTITOREM INFERVM. VIII.

*Ad quid, Nauta Charon, Crepidini adſtas?*
*An forſit Gulielmium tuliſſe,*
*Vnà cum populo hoc inerte, quæris*
*Trans hæc, Perſephonæ ad domum, fluenta?*
*Hà, hà ſolue ratem ſenex. profanum*
*Qui viuens odio Vatiniano*
*Plebem odit: quoq; nunc Vatiniano*
*Non odiſſe odio haud poteſt eoſdem.*
*Abi ergo. Iſti enim Amor modò Pharetram*
*Subſternet vice Nauis. Arcus autem*
*Inſtar Mali erit ardui. Rudentes*
*De torto faciet repente Neruo.*

At,



*At, quod lumina Linteum obtegebat,*
*Sinus carbaſei locum obtinebit.*
*Remorúmq; modo Sagitta vtrinque*
*Secabit Gulielmius profundum.*
*At Clauúmq; ſedens Cupido, cunctas*
*Igne diſcutiet Facis tenebras.*
*Portum ac iam leui vterq; puppe inibit,*
*Quum vix trabs mediâ tua ibit vnda.*
*Ad quid, Nauta, igitur crepidini adſtas.*

## AD IOSEPHVM SCALIGERVM, ET IVSTVM LIPSIVM. IX.

*Eſſe quid hoc dicam, Doctorum penſa virorum*
*Quod peſſum aßiduè Parca det ante diem?*
*Occubuit certè nonæ in trieteridos annis*
*Nobile Palmerij, Lotichijq; caput.*
*Inq; locum hinc communem abiit creſcente iuuenta*
*Falcoburgius, ac Papij amabilitas.*
*Nec minus aligeri infantis gemma illa, Secundus:*
*Illáq; Athenarum gloria, Ratlo, Deæ.*
*Vidit Canterus, viditq; Ducatius Orcum,*
*Lanea veſtibat vix vbi barba genam.*
*Vt quoq; & ille, mihi affinis qui nomine, & ille*
*Quem nunc defunctum mæſtiter ipſe fleo.*
*Suntne homines odio Melici Cœleſtibus? aut Mors*
*Diis charos gaudet falce ſua metere?*
*Neutrū equidē credam. ſed ſi, quod & arbitror, auſim*
*Dicere: ità clarè dixerim, & ex animo:*
*Quodcunque eſt Numen, ſeu Diuus, ſeu Dea, Olympus*
*Cui dat cenſuram in Muſicum habere gregem;*

*Vinitor exemplo eſt ipſi, qui, vbi palmite multo*
*Vitis adaugetur, malleolisq; veget:*
*Enſe venit cotem redolente, atq; amputat omne*
*Vndiq; ſiluarum luxuriantium onus.*
*Vtq; manet reliquus vix ſurculus vnus & alter,*
*Sicam frondatricem eiicit è manibus.*
*Illáq; ſollicitè commendat brachia fulcris:*
*Vt mox alta magis, grandiáq; ad polum eant.*
*Frendenteisq; Notos, rapidum ſpernentia & imbrem,*
*Prouentu exhibeant vberiore merum.*
*Scaliger, Europæ florentis adorea princeps,*
*Túq; renaſcentis, Iuſte, pater Sophiæ,*
*Quando tandem eritis docti ſatis atq; diſerti?*
*Vidimus heu, iuuenum ſatq; ſuperq; neces.*

---

## IN ASTRA ET COELOS. X.

*Has, ſcio, ſurdis foribus querelas*
*Fundito. quid tum? volup æmulari eſt*
*Garrulæ linguam Philomelæ, Ityn quâ*
*Plorat ademptum.*
*Téne vt ipſe vnquam, Gulielmi, acuto*
*Deſinam accentu ingeminare? Sim ve*
*Laſſus ad chordæ ſtrepitum tibi altas*
*Dicere laudeis?*
*In te amor nolit meus hoc, vetetq; hoc*
*Inclyta Princeps Cypri: abominetur*
*Hoc Camœnarum chorus: hoc ſolutis*
*Gratia zonis.*
*Ergo, age, ô deinceps, Lyra multineruis,*
*Perpetim intactum meditemur horis*
*Singulis carmen, penetret qui & Orci ig-*
*Nobilis aureis.*

*Voſq;*



*Voſq;, voſq; altis, Oculi, innatate*
*Fletibus largè: ac facite hinc & illinc*
*Impetu vaſto lacrimationum*
*Fluctu et æquor.*
*Impium hìc Cœlum, tetricæq; Stellæ!*
*Cur Dij vobis ita ius ſupremum in*
*Corpus humanum dederunt, ſine vllo*
*Fine modoq;?*
*Tanta committi minimè poteſtas*
*Debuit veſtris humeris: erat vel*
*Curioſè mox cohibenda certo*
*Fine modoq;.*
*Nunc, ſatæ-Nocti vt placeatis, Orbis*
*Tollitis raptim decora ampla, & ire*
*Improbas Merces datis æuiterni*
*Per numerum æui.*
*Pergite vt vultis. propè at eſſe tempus*
*Auguror, quo vos ſimileis ſcietis*
*Neſciæ Capræ, catulos lupinos*
*Quæ vbere lactat.*
*Hacq; me, certè, niſi ſpe fouorem,*
*Non foret noſter redigendus vllum in*
*Ordinem luctus, fremeret ſed inſtar*
*Oceani æſtus.*
*Hacq; me certè niſi ſpe fouerem,*
*Sæpe finem antehac generoſiore*
*Dextera vitæ impoſuiſſem, ab omni*
*Parte ſiniſtræ.*
*O dies illa appropera: ac tueri*
*Da Aſtra, Cœliq; orbem homicidam ab alto*
*Culmine actutum ruere, ac feræ ire in*
*Præmia Morti.*

### ASSIMVLATIO. XI.

Hippolyti corpus lacerum hac illácq; iacebat,
Deſolata Herebi nante in aquis anima:
Quum venit, & fractos medica arte reſuſcitat artus
Phœbigena, ac maneis turbido ab amne ciet.
Fatalis non tale tulit facinus Iouis ira:
Chirurgum, en, Cereris ſed rapit ad generum.
Tu quoq;, dum haud vno fœdatos vulnere, Romæ
Aſſeris in priſcum, Iane, decus Proceres:
Quosq; diu infernis totos Proſerpina clatris
Clauſit, Solareis cernere das radios.
Fiſcum queſta inopem Libitina, vacaréq; queſta
Mors falcem, & Clotho, haud iura ſua eſſe rata:
Ocyus inuadunt, Gulielmi, te impete magno,
Tranſmittúntq; decens Perſephone ſpolium.
At tu etiam, Gulielmi, obitu gaude mihi in ipſo:
Et vel adhuc multum candido oua Alipede.
Nam qui ſeruatos ob ciues occidit, illi
Ius itidem eſt ipſa in morte triumphum agere.

### *Aliter.* LOQVITVR SEPVLTVS. XII.

Dum veterum purgo Scriptorum putrida membra,
Eumenidúmq; veto poſſe premi pedibus.
Et dum aue felici iam corpora conclamata,
Ex ipſis iubeo ſurgere ſandapilis,
Inuidiam merui Superûm: atq; in puberis æui
Tempore, nigranteis cogor habere domos.
Sic quoque adiit ſanato Epidaurius Hippolyto Orcum.
Cuius ob exemplum & pœna mihi iſta leuis.
Fors enim & illa dies propè adeſt, qua fata ſecutus
Ipſius, hinc pretio vel prece liber eam.

Aſpiciénſq;



Aſpiciénſq; iterum Phœbeam lampada, maior
Surgat honos decuplo, quàm fuit ante mihi.

### ALLOCVTIO. XIII.

Si potis eſt hominum accentus deſcendere ad aulam
Quam nouies Erebi lurida circat aqua.
Siq; quit antiqui nunquam interiturus amici
Defunctorum animus ſe illatebrare dolor.
Has voces, has luctiſonas, Iane, accipe voces,
Cordoliiq; mihi te graue tangat onus.
Nempe Deis credam curæ mortalia? credam
De mundi fatis ſollicitum eſſe Iouem!
Quum videam in primo, Gulielmi, flore iuuentæ,
Stamina netriceis ſic tibi rumpere anus?
Quum videam Herois triſſecli anteire ſenectam
Vita tributa quibus pro meliore ſale eſt?
Vah. quicunque Deûm aſtrata proſpectat ab arce,
Aut ridet, nos atq; aſtragalûm vice habet.
Aut vt cœleſti ſecurior incubet oſtro,
Clauum orbis Fortunæ impoſuit manibus.
Quæ, licet inconſtans, nimiũ conſtans tamen eſt, quum
Vult prodeſſe malis, vult nocuiſſe bonis.
Sic nunc illa iaces Charitum illibata medulla:
Mercurij ille lepos, ille Cupidinum amor:
Illa nouenarum cura vnica & vna ſororum:
Ille grauis priſcæ ſimplicitatis honos.
O ſpes fallaces! quò nunc cura illa laborq;?
Sobria quóq; Ceres? ſobria quóq; Venus?
Et quorſum totas hyemali ſidere nocteis
Ad lychni exiguam peruigilaſſe facem?
Scilicet vt dicat tua calcans buſta viator:
Ah, quanta heîc tecum cura labórq; iacet!

*Sint alijs in amore Duces oculi. es mihi viſus,*
*Vllo nec tibi ſum tempore viſus ego.*
*Et tamen haud te aliter, Gulielmi, amplector amore*
*Quàm mater natos, quàm generosq; pater.*
*Quàm vitam imò ipſam, quàm ſi quid carius ipſa*
*Stat vita. Sed quid carius uſpiam ea?*
*Fallor? an heîc regnat quoq; inaſpectabile regnum,*
*Quale Helena inuiſâ fecit amare Parin?*
*Sic eſt. Heîc Numen quoque inaſpectabile regnat,*
*Abſentesq; cataglutinat arte animos.*
*Dum inſtructā ex humeris geſtat, Pueri alitis inſtar,*
*Inuiolabilibus miſsilibus, pharetram.*
*Non tamen effictis Æthnæ in fornacibus, altè*
*Flammiuomi tinctis nec Phlegethontis aqua:*
*Sed quæ Erato probè inundauit Permeſside lymphâ,*
*Formauit propria Melpomeneq; manu.*
*His tetigit certo Deus ille mihi intima iactu*
*Pectora, diuino incendit & igne iecur.*
*Quæ, nec ità vt ſe habeant, ſed habent ſe ità, nec neget hoc*
*Quàm qui almi ignotum nomen Amoris habet. (quis*
*Ah, quibus eſt ità cor triplici obſeptum chalybe illum vt*
*Non ſecus ac fibras diligat atq; oculos,*
*Nulla fames cui opum, cui nulla ſitis vaga honorum,*
*Mens nec in elato corpore triſtis adeſt?*
*Sed pectus niue candidius, ſed prouida virtus,*
*Obuia ſed ſanctæ dextera amicitiæ?*
*Tu talis certè, inuiſus quoq; amatus es à me*
*Virtutem rebus qui omnibus ante fero:*
*Quæ quamuis ità non foret in pretio mihi, at illud*
*Ingenij poterat me allicere acre iubar:*
*Illáq; iuncta ſerenatæ facundia linguæ:*
*Inſcriptis paſsim quæ mage clara tuis,*

*Quàm*



*Quàm Solis radij eſſe ſolent, quum axe auricolore*
*Herculee incedit per tua terga, Leo.*
*Hà quoties dixi: donet modò Iuppiter annos*
*Iane, tibi, & priſcos qui exuperabis eris:*
*Quà rara morum antiquûm, probitatéq; vitæ,*
*Quà Doctrinarum fertiliore penu.*
*Dixi ego. Sed venti mea vota tulere per æquor*
*Et Rhadamanteos ante diem iſti ad agros.*
*Ergo tui nunquam fiet mihi copia, Iane?*
*Non tua erit facie vnquam alloquióq; frui?*
*At me ad Gallicum iter male ſanus iam accingebam,*
*Spésq; erat ante dies ſexdecim adeſſe tibi.*
*Iámq; mihi raris numeris hinc inde legebam*
*Quæ peregrè adueniens carmina culta darem.*
*Atq; ità dicebam: Sic luſtrer Apollinis vmbra,*
*Vt mihi amicorum ſemper ocellus eris,*
*Et tecum longas gaudebo fallere noctes,*
*In ſolidum æſtiuos & iugulare dies.*
*Vnus & ex omni ſociorum examine ſtabis*
*Cui noti luſus, ſeria cuiq; mea.*
*Dixi ego. ſed venti mea vota tulere per æquor,*
*Et Rhadamanteos ante diem iſti ad agros.*
*Rhene pater, duplici qui mœnia tramite inerras,*
*Engiſthi quondam ſurgere cœpta manu,*
*Heîc vbi nunc Douſæ auſpiciis, felicéq; ductu*
*Lipſij, amant Bataui verba latina loqui.*
*Qua viſus ſum mente tibi, Scheda quum illa Meliſsi*
*De Gulielmî obitu fecit amara fidem?*
*Talis at Euryali cædem Hyrtacides: Cytherea*
*Talis ad exanimi funus Adonis erat.*
*Tunc ſubiit ſubitum virus præcordia, ab omni*
*Frigida currebat tunc mihi corpore aqua.*

I ij

*Incuſansq́ Deos, & cœli ſidera iniqua,*
*Collapſis ad humum ter cecidi articulis.*
*Optauiq́ eius reuocare mea nece vitam,*
*Aut paſſu Orcinos ire pari ad Lemures.*
*Ah, neutrum potui. fatorum at lege perenni*
*Vitam agere in lacrimis cogor & in gemitu.*
*Et tamen eſt vel ſic, fateor, mihi viuere gratum:*
*Impendam vt gemitus hos, lacrimáſq; tibi.*
*Quos gemitus, quas & lacrimas tibi habe, Gulielmi;*
*Nunc monumenta meæ viuida amaritiæ.*
*Mox, vbi amica magis cæli facies erit, aruáq;*
*Incipiet Zephyri vermiculare tepor:*
*Bitturigum pergam muros petiiſſe rapaceis,*
*Aduenìamq; tuos flebilis ad tumulos.*
*Voce tuámq; alta inclamans vmbram, omniũ odorum*
*Et florum, cineri ſuppeditabo, genus.*
*Interea, aurata ſeu Titan lampade terras,*
*Siue ſoporiferis Cynthia luſtrat equis,*
*Aßiduè ipſe meo, Gulielmi, habitabis in ore,*
*Aßiduè & de te carmina mœſta canam:*
*Qualia Strymonias Orpheus formabat ad amnes,*
*Dum miſer Eurydices fata iterata gemit.*
*Iamq́ vale præ cunctis vnice amate mihi vne*
*O Gulielmi. æternùm ô mihi aue atq; vale.*

---

AD VIATOREM. XIIII.

*Flore, Viator, humum decora. hîc etenim ille quieſcit*
*Flos quondam Gulielmius orbis.*
*Quem veluti vernus naſcentem aſpexit Eous,*
*Aſpexit Veſper morientem.*
*Omnia flori igitur ſimilis, niſi quod minimè, eheu,*
*Succedens ſibi proroget æuum.*
*Mentior. hà dudum tumulo quoque flos nouus iſto*
*Exiſſet, niſi terra maderet*
*Imbre putris nimio lacrimarum, prætereuntum*
*Qui de oculis pluit agmine vaſto.*
*Quod ſi pauliſper fletu moderere, Viator,*
*Fiat humus dum ſicca mage omnis:*
*Aſtutùm vario prodire colore & odore*
*Conſpicies florem hocce ſepulcro.*



---

AD PATRIAM DEFVNCTI. XV.

*Lubeca, ocelle nuper Vrbium, quotquot*
*Manè exerens os, Veſperi inſerens Nereo:*
*Perenni clara Lampade aſpicit Titan:*
*Quænam te ità horrida afflat aura Fortunæ,*
*Vt ille maieſtatis arduus ſplendor*
*Stet obſoletus ſqualidi ſitu luctus?*
*Et ille, verberans modò polum vertex,*
*Deiecto eat nunc in nigrantem humũ vultu?*
*An fors, parens tenerrima, ad tuas aureis*
*Delatus eſt rumor quoque ille funeſtus,*
*Gulelmium qui diceret periuiſſe?*
*Nondum ah. ſed altè ſaucia es cor, abs illo*
*Quod, ſeparata mille millibus multis,*
*Amabili pauiſſe lumina aſpectu*
*Deſideras incaſſum: abeſtq́ fœcunda*
*Reconditißima illa vena Suadelæ. ah,*
*Ah, ſi dolorem illum diu dolere atra*
*Te Fama vellet, auribúſve non vti*
*Poſſes. enim Deos tuam in ruinam, ipſa ac*
*Elementa coniuraſſe proximum eſt vero.*
*Fruſtrà, heu, tibi nomen Parentis eſt. natus*
*Fuit tibi mage vnico vnicus. magnus*

*Gulelmius, dico Fuit, decorq́ ille*
*Deſloruit præſtantis oris & linguæ:*
*Sicut remota in valle Amaracus: terræ*
*Quam immanis aër, Auſter aut venenato*
*Inuaſit halitu. virente paulatim orba*
*Honore formæ germinantis, expirat:*
*Herbisq́ languido incubat ſuis collo.*
*Proh Sortem iniquam, proh grauiſſimum caſum!*
*Nunc, nunc, Lubeca, ô vnguibus genas carpe,*
*Nunc vellito, à radicibus, capillorum*
*Suggeſtum opacum: ebúrq́ pectoris candens*
*Inuſta turpet multiplex nota, ac pullo*
*Amicta tegmine, hinc & inde turbatos*
*Cie ore lacrimoſiore clamores.*
*Maiora nunquam vulnera vlla in æuo vllo*
*Tulit ferét ve fœmina. heu, tui cœli*
*Abiuit ille Sol, tuúmq́ regnum atra*
*Calligine inuoluit: timórq́ is eſt conſtans*
*Ne ſurgat alter, qui tibi ferat lucem.*
*Heu, heu, Lubeca: laneæ genæ nati*
*Blanda admouebis oſcula amplius nunquam.*
*Nunquam amplius lacertis obuium ſtringes*
*Tenacibus. tibi nec illa ſub denſis*
*Gulelmicos iugis reponet accentus*
*Iocoſa Linguæ filia Aëriſq́ Echo.*
*Non nominis tui vim ad æthera excelſi*
*Montes ferent: non maxima æquoris monſtra,*
*Non arborum vmbra, non vagi amnium fluctus,*
*Te Ciuitatium omnium canent primum.*
*Heu, heu, Lubeca. iam Hippocrenidas fruſtrà*
*Poſthac requires tinniente per rura*
*Palatim euntes barbito, entheum aut carmen*
*Lingua*



*Lingua integrantes: non in herbidis poſthac*
*Riui ad fluenta murmurantis vmbraclis,*
*Fuſæ iacebunt Gratiæ, ſua ac raptim*
*Cum Principe, atq́ Amore, humum pede alterno*
*Sub Populo patentiore pulſabunt:*
*Natúmq́ laudibus ſupra globum aſtratum*
*Ferent tuum. nec iam profecta turmatim*
*Ex omnibus plebs plurima angulis mundi*
*Curret, Lubeca, te anxiè ſalutatum:*
*Flexóq́ adorabit ſolum genu, primùm*
*Gulelmius cui inſtitit pede humenti.*
*Quondam hæc fuere. quæ omnia abſtulit ſecum*
*Ad regna ſubterranea inclytus natus:*
*Olim inclytus. nunc, heu, dolórq́ luctuſq́.*
*Digitis dum onus tribus leuatur! ô fatum!*
*O ſortem iniquam! ô miſerrimum caſum!*

---

APOLLO, MVSAE, PARENTANT. XVI.

*Fruſtra es, Caſtalium Muſas qui quæris ad amnem.*
*Triga ſuum illa triplex hoſpitium heîc ſibi habet:*
*Et manuum flictu, ſingultatóq́ tenore,*
*Cuncta oriente replet, cuncta cadente die.*
*En vt demiſſo incedant capite. en, ſitu vt atra,*
*Auſteris Citharæ fila rigent l. c. imis.*
*En, vt inornatus monumenti nunc agrum oberret:*
*Nunc ſedeat Cryptæ Cynthius ante foreis.*
*Hà, hà, parce Aganippeas quid poſcere Diuas,*
*Quiſquis es: hà Phœbo fundere parce preces.*
*Hic nec enim poterit, poterunt donare nec illæ*
*Quod ſibi ſit dignum, quod lubitumq́ tibi.*
*Quin, ſi, quod cor habes, te iunge age flentibus ipſis.*
*Nunquam homini turpe eſt Numina velle ſequi.*

Sin petere eſt aliquid volup: hoc pete quod ſit ab omni
Parte venenato triſtius helleboro,
Sed potius libeat te iungere flentibus ipſis.
Rarus bonos homini Numine poſſe ſequi.

AD IACOBVM BONGARSIVM. XVII.

Cincte caput rara auguſtum, Bodryane, corona:
Cui comes it Venus atq; Cupido.
Quidnam, ſiue Iſtri luſtras gelidi oppida, ſiue
Hungariæ quondam inclyta regna,
Mentis habes, quum tot vexant inſomnia ſenſus
Totáq; ſonat læua omina Bubo?
Quúmq; iter ingreſſo ferale adſibilat Anguis,
Nec ceſſat ſtrepere improba Cornix?
Hæc num fortè viam certò portendere ſcæuam,
Aut modò iam excidia vltima rerum?
Talem, heu, pone metum. Diis ingrederis viam amicis;
Penſa neuntq; tibi aurea Parcæ,
Aurea, ſed pullis aliquantum interlita filis.
Namq; merè cuinam Aurea penſa?
Hincq; tibi auguria hæc, ingratæ nuncia cladis,
Inculcant, Vixiſſe tuum illud
Dulce caput, quod te geminis mage amabat ocellis:
Quodq; oculis geminis mage amabas.
Diſcidium, inquã, ah, ingeminant Gulielmij acerbum
Ad ſtupidæ caua viſcera terræ.
Hei, quis nunc hominum fidat creſcentibus annis?
Quis generoſo in corpore, membris
Fortibus? ingenij quis nobilioribus auſis?
Quis Fidei almæ, quis Pietati?
Occultè à latere it nobis Fati alta poteſtas,
Incautisq; manum ſubitam infert;

Vitalem



Vitalem & calido exugens è corde vigorem,
Neruorum omnia vincla reſoluit:
Exanguemq; animam antra ad caligantia mittit,
Cauſam vt agant Orci ante tribunal.
At, Bongarſe, tua fide, an vnquam Muſica maius
Accepit Reſpublica vulnus?
Illó ſeu ſit opus qui præſtet opem Critica arte,
Affecti Scriptoribus æui;
Siue illo, eruat è grauida qui pectoris arce,
Multa lini digniſſima cedro.
Siue illo. vlterius quid eo? heu horreſco, & in acrem
Singultum rapior, bone, tecum
Bongarſe. haud vllo nam quamuis tempore viſus
Ipſe ego ei fuerim, ille mihi ve;
Stat tamen in fibris mihi ſcalptus imagine viua:
Ex quo te totieſq; totieſq;
Os eius memini verè doctúmq; probúmq;
Melliflua olim extollere voce.
Sed cunctos, Iãcobe, dies Gulielmium acutis
Luctibus vt, fletúq; gemamus;
Vnquam an mixta piis lacrimis querimonia flectet
Villoſas Stygij canis aures?
Ergo eius potius viuaci nomina plauſu,
Per terras vulgemus & æquor,
Omnibus inq; locis tumulos ſtatuamus inaneis,
Currentum prope littore aquarum:
Quos circum choreas Nympharum exerceat agmen,
Et modulentur arundine Fauni.
Floreq; quos Dryades, Syluáq; virente coronent,
Irrorentq; liquoribus Indis.
Fallor? ità an Gulielmiaci mage fama ſepulcri
Noteſcet, quàm ſi ardua Regum

*Ægypti anteëat miracula, verticeq; æquet*
*Marmoreo cœleſtia templa?*

## AD PROMETHEVM. XVIII.

*Quàm benè Caucaſea ô pendens in rupe Prometheu,*
*Carniuorâ aſſiduò carperis à volucre!*
*Per te Mors, varias facies induta nocendi,*
*Innumero graditur cincta miniſterio.*
*At priùs ad latus illi ibat tantum vna Senecta*
*Imbelleis tenui armata manus iaculo.*
*Non tamen in quosvis quem ſpargeret ordine nullo,*
*Verùm, in eos, cœli queis foret aura grauis.*
*Annorúmve ità queis ſeries ambéderat artus,*
*Cernere prono irent vt ſilices capite.*
*Nunc verò varij generis ſe vbi plurima peſtis*
*Vaſe reſignato proripuere foras:*
*Nocte ſatæ in tantum intumuit furor, auſit vt altis*
*Voce minace loqui non bona verba Deis.*
*Ah, hà Cœlicolæ! multum multúmq; cauete,*
*Iam petit aſtra ſuis Morta veneficiis.*
*Iam petit. ecce rudimentum Gulielmius ipſe eſt,*
*Elinguis qui, eheu, exanimusq; iacet.*
*Qui, ſit vt haud vobis æqualis in omnibus: at quis*
*Vos tamen inſequitur proximiore gradu?*

## COMPARATIO. XIX.

*Sicut odorati per amœna roſaria Pæſti,*
*Sedula dum illuſtri remigio errat apis:*
*Floréq; nunc ſibi ab hoc, rores nunc lingit ab illo,*
*Diſtendat cel'æ queis tabulata ſuæ,*
*Imprudens in Araneæ opus leue fertur & atram*
*Sæpè venenato puncta pede necem adit.*

*Sic*



*Sic te vbi Scriptorum omne genus Gulielmie, ineſcat,*
*Per quos & Latij, & Græciæ honora plaga eſt,*
*Inuéq; pinguem omnem iuuat emulſiſſe medullam,*
*Ac linguæ accentus non ſinis eſſe rudes,*
*Circum retiris, miſer heu, indagine Mortis.*
*Circum retiris, heu miſer, & moreris.*

## ALITER. XX.

*Alueolo exierat, Solisq; illecta tepore*
*Iam ſpatiabatur per nemora herbida Apis.*
*Et nunc de folio hoc, nunc de illo flore legebat*
*Augendum facerent mellificum quæ ad opus.*
*Carpitur heìc ſuccus Panaces, heîc lilî odor altus:*
*Illic libantur fila croci atq; tyma.*
*Hinc rapitur Clyties aurum, argentũ inde Roſarum:*
*Nec violæ deſit ros, nec anethi anima.*
*Iamq; pererrarat florenteis vndiq; campos,*
*Plenáq; geſtibat ceream adire caſam:*
*Vidit in incepto quum ſtare itere, heu, Amarãthum,*
*Cuius ſuccum etiam dum populare volup:*
*Surculum auara init. at bene vix inſederat illi:*
*A tergo petulans quum ecce puellus adeſt.*
*Inſidiasq; agitans, aditus circumſpicit omneis.*
*Suſpenſisq; vt Api proximus eſt pedibus,*
*Extenſo raptim digito, incautam occupat ala:*
*Datq; in muccinio ſordidiore locum.*
*Vixq; aliquo claudens ſua gaudia fine, Parentem*
*Quærere it omne ample per penetrale domus.*
*Inuentæq; ità clamat: ades mea ô optima mater:*
*Beſtiolam, en, cepi mirificè hanc micidam.*
*Beſtiolam, en, cepi mater, penna auricolore.*
*Beſtiolam, en cepi mirificè hanc micidam.*

*Illa ſuo at metuens nato, ne forte bouina*
*Progenies, dextram vulneret arduè acu:*
*Ah, caue, ait, mordet puer, hæc mala beſtia, mordet:*
*Et raptam, impoſita calce repente terit.*
*Hà miſeranda Apis! Hà effectrix lectiſſima mellis,*
*Occidis, & tecum hà, occidit ille labos.*
*Sic heu, ſic etiam noſter Gulielmius. at quid*
*Magna iterum, ah, mea crudâ vlcera tango manu?*
*Hà tetigi. ô quantus dolor vndiq; & vndiq;! Amice,*
*Et tamen, heu, quoq; ſic, ſic Gulielmie, obis.*

---

## AD GABR. ROLANDIVM, ET CASP. SCVRMANVM. XXI.

*Caſpar, & Gabriel, beatiores*
*Myſtæ Virginis aureæ, ſuum ius*
*Quæ libra tribuit cuiq;, & enſe.*
*Nunc ô lætitiæq; & illecebris.*
*Nunc, ô blanditiis, facetiæq;*
*Frangatur gula, mox vel vniuerſim*
*Has & lætitias & illecebras,*
*Has & blanditias, facetiasq;*
*Portare in mare Atlanticum date Euris:*
*Nam pulcrum iubar ætheris reliquit*
*Lubeci, heu, Gulielmius ſmaragdus,*
*Europæ Gulielmius potens ſpes,*
*Muſarum Gulielmius merus flos,*
*Cypriæ Gulielmius voluptas.*
*Veſter heu, Gulielmius, meusq;.*
*Quo nullus probior, modeſtiorq;,*
*Aut his eſt, aliis ve erit in annis.*
*Eius, ah, tumulum aluit recentem*

*Pallidus*



*Pallidus Ligeris latex, prope vrbem*
*Leuam Bitturigem: nec Soſpitalis*
*Sancta teſſera, nec tot optimarum*
*Rerum cognitio ardua, inuidam illam*
*Illam dedecus orbis vrbiumq;*
*Tantillum potuit mouere, abiré vt*
*Iuberet Gulielmij à medullis*
*Febris peſtiferam luem: imò credo,*
*Certè credo, ab ea ore réq; raptim*
*Euocatam Erebi hanc profundo ab antro*
*Febris peſtiferam luem, & profanam, &*
*Maximè omnium acerbam, vt illicò atris*
*Fatalem Gulielmij capillum*
*Tonderet ſicelicibus, nec horam*
*Expectaret, eum Hera quâ ipſa Auerni*
*Tandem auferret: Et hoc eò ne homo ortus*
*Longe Balthiacum ad mare, in iuuentæ*
*Flore præriperet, ſenum capillis*
*Deſtinata diu diùq; ſerta.*
*Vah! ne tam rigidè quidem Lycaon*
*Excepturus erat Iouem ac miniſtros.*
*O verè pudor orbis vrbiumq;!*
*O verè Eumenidum omnium cloaca!*
*Iam ſcio, Gabriel bone atq; Caſpar,*
*Ceæ næniæ vterq; opus retractat,*
*Auras implet vterq; & vſq; queſtu,*
*Imbres depluit ac vterq; ſalſos,*
*Ducit vitam & vterq; luctuoſam.*
*O factum Gabriel bonum atq; Caſpar.*
*Aſt ego, prece deſinente-nunquam,*
*Naturam rogito, vt mihi, inſtar Argi,*
*Det plures oculos, queam ve totus*

*In riuos malè abire lacrimarum,*
*Quò meum Gulielmium vſque plorem,*
*Plorem Bitturigiſque iniqua tecta.*
*Tu ſed ſumme Deûm, ſi ob adparatas*
*Vobis inſidias, ſubire pœnam*
*Arcadem voluiſti: vbi illa dextra*
*Nunc tua eſt? Simile, en, ſcelus patrauit*
*Bitturix pudor orbis vrbiumque.*
*Tua & ſumme Deûm, iam vbi illa dextra eſt?*

---

## MORS CAECA ET SVRDA.
## XXII.

*Ad quid captam oculis Mortem vtile fingere Pictor?*
*Heî. factis Aquilæ ſat ſe acie eſſe probat.*
*Semper enim inuolat in pulcerrima & optima quæque;*
*Impuraque tenet à ſcabie vſque manus.*
*Sic multis, Gulielmum è millibus eligit vnum,*
*Mercurij, Gulielmum, & Charitum hoſpitium:*
*Eligit. ac vitam abrumpit teli vnius ictu,*
*Tergeminæ Eurynomes proli, & Atlantiadi.*
*Hà, quid? verè ipſam pingis ſine lumine Mortem,*
*Conſcie adumbratis ludere imaginibus.*
*Nam ſi aſpexiſſet planctum, queſtus & amaros*
*Quos mouere nouem, mortuo eo, Aonides:*
*Quanquã adamante magis dura, aut triplici ære fuiſſet,*
*Non damnare ſuum non potuiſſet opus:*
*Tactaque cor diuoro variè varieque dolore,*
*Depoſito ereptam reſtituiſſe animam.*
*Atque vtinã audiſſet ſaltim. ſed & aurium adæquè, ab*
*Vſum, ne auſcultet verè ei abeſſe facis.*

*An*



## *An inter* DEOS *referenda* FEBRIS.
## XXIII.

*Quin iam mortales, delubra illuſtria ſurgunt,*
*Febrique innumeris ſacra ſtat Ara locis?*
*Maior enim ditio Furiæ, maiorque poteſtas,*
*Quàm quibus aſtrorum lucida templa petent.*
*Succinctum ipſa caput, Gulielmij amabile lauro,*
*In quam nil cœli fulmina iuris habent:*
*Non metuit portentifico inceſtare veneno,*
*Vulnereque immani mittere ad Æaci aquas.*
*Sed quid tum? heu ceſſate. hominũ nã flectere ſi illam*
*Non potuit gemitus, non Superûmque dolor:*
*Fruſtrà vt placetur, delubra illuſtria ſurgant,*
*Fruſtrà & ei innumeris ſacra ſtet Ara locis.*

---

## CENOTAPHIVM. XXIV.

*Hoc monumen poſuit Gulielmio inane Gruteri*
*Officioſus amor.*
*Teſtatum vt cunctis faceret, Mortis properè vngue*
*Optima quæque rapi.*
*Nam fruſtrà eſt, ipſum qui heîc laudi ac enthea mẽtis*
*Tot bona poſſe putet.*
*Is dignè vt detur tumulus: ſit Terra vice Vrnæ,*
*Pro Capuloque Mare.*
*Omnis, & in ſalſos lacrimarum funditus amneis*
*Lympha eat Oceani.*
*Sietque ſepulcrali totum pro Fornice Cœlum,*
*Aſtraque pro Facibus.*
*Grexque Deûm cineri noctuque diuque parentent*
*Eſurie atque ſiti.*

*Donec protractis inferno è carcere, ad vnam,*
*Indomitis Furiis,*
*Cultrum adigatur iis per guttura, ſanguine placent*
*Et Gulielmiadem.*

## MEMORIAE SACR.

IANO. GVLIELMIO. LVBECENSI. SANCTISS.
MORIBVS. IVVENI. ET. VERE. FLORI.
ILLIBATO. INGENIORVM. AD. AETERNIT.
ROMANI. NOMINIS.
NATO. EIVSDEM. SEMPITERNO.
DAMNO.
DENATO.
IANVS. GRVTERVS.
AMICO. INCOMPARABILI.
AMISSIONE. EIVS. PERPETVIS. TENEBRIS.
QVOTIDIANA. MISERABILI.
EIVLATIONE. DAMNATVS.
HOS. TITVLOS. HOC. MONVMEN.
CHARTACEVM.
QVIA. MARMOREVM. NON. POTERAM.
B. M. P. S. D. M.

VALE. ET. SALVE. ANIME. MI. GVLIELMI.
DISCEDENS. TERRAM. TIBI. DICO. LEVEM.

IANI



# IANI GRVTERI EPIGRAMMATVM LIBELLVS.

### DE IANI DOVSAE NORDOVICIS Poëmatibus

*Non ego iā lapideis animare Amphiona miror,*
*Inderéq; auriculas Orphea fluminibus.*
*Quum videā ad manans Douſeo nectar ab ore,*
*Currere & eoos, currere & Heſperios.*
*Ipſius utq; ſemel guttatim hauſere ſaliuam,*
*Auferri dias protinus in furias.*
*O dulces nimium effatus! ô gemmea verba!*
*His certè his ſedem Peitho habet in labiis.*
*O linguam quali loqueretur dia Monetæ*
*Progenies, hominum ſi velit ore loqui.*
*O carmen quale aut docuit didicitve Dione:*
*Nuda coronatas dum inter agit Charites.*
*Hà quanquam auditus Aſpis dicare meatus*
*Obſtruere, à magicis ne capiare ſonis.*
*Douſica ſponte, ſcio, audires cantamina, apertâ*
*Præſentemq; lubens aure necem ebiberes.*
*Tantùm hoc, haud vitas centum tibi ineſſe doleres,*
*Vt ſimili toties fas foret arte mori.*

### AD ANDR. DVDITIVM.

*Dum magnis animis & ore magno*

*In præconia, Dudithi, tua ibam*
*Fontis Caſtalij meraciores*
*Optabam laticeis, iugiq́; raras*
*Bicornis phylaras: Thalia quum ſic*
*Fari eſt viſa.ıge: abi. haud enim pudenter*
*Quæras Muſica labra, laureámq;*
*Ampla extante ſatis domi tuæ re.*
*Quid? an Dudithius tot vnus in ſe*
*Doteis non habet ingenî geniq́;,*
*Vt tibi œſtro agitet potente mentem?*
*Habet certè. egoq́; ipſe fortè ſi quid*
*Nitar voce loqui altiore, adoptem*
*Ipſius mihi ſpiritum neceſſe eſt.*
*Aſſeruntq́; meæ hoc idem Sorores,*
*Antiſtansq́; Sororibus, pharetra*
*Barbitóq; potens Apollo. Si ergo*
*Dudithij ire per ordines libido,*
*Tibi ſuggerat ipſe ſeſe oportet.*

---

AD PIAM.

*Quod pretioſa tibi velamenta aſperet aurum,*
*Totáq; gemmarum fulguret igne coma.*
*Vndiq; quod talis celſum implicet vnio collum*
*Auriculis qualem nec Cleopatra tulit.*
*Te Veneres, Pia ſurripuiſſe vnam omnibus vnam*
*Plebs putat, & per te Cypria nulla Dea eſt.*
*Plebs putat. aſt ego non cum illa. Scin' cur? mihi tãtum*
*Illa placet verè quæ ſine veſte pl.cet.*

---

AD RVMOLDVM HOGEBESIVM.

*Illum lacte ſuo pauit Crocodilus & altis*
*Hyæna ſepſit fraudibus.*

Qui



*Qui ſic iuſsit amicitiæ fœdus coli, oriri*
*Quaſi inde odium poſſet graue.*
*Tene vt ego ergo colam perſonato malè amore,*
*O omnium chariſſime?*
*Ah potius iam nunc tabulis inſcribar Auerni,*
*Laſſem & Megæræ dexteram.*
*Nos anima vna duos multis iam rexit ab annis:*
*Regétq; porrò, inamabileis*
*Quum Lethes torpentis aquas guſtarit vterq;.*
*Quod ſi quid in Deis boni eſt:*
*O vtinam nouũ vbi in corpus migrabimus ambo:*
*Corpus tuum, corpus meum, vt*
*Hermaphroditæ ac Salmacidos, coaleſcat in unum,*
*Quò animæ probè vnæ congruat.*

---

IN STIRPES CAROLI CLISII.

*Vos ô Radices, vos ô cum Floribus Herbæ,*
*Ramisq́; munitæ Arbores.*
*Nunc agite ambroſij ſucci exhalate ſapores.*
*Comasq́; pandendo altiùs,*
*Vnguinibus calyces diſtendite, nectaris auxit*
*Quæ parte quinta Amor ſui.*
*Veſtra etenim, prius haud vlli benè cognita, virtus*
*Famæ quadrigis aſtra adit.*
*Támq; auguſta maieſtate coruſcat, vt ipſos*
*Perſtringat & Thamyras, iubar.*
*Quæq; bona æternis veſtrûm pars clauſa tenebris,*
*Dias iam in oras luminis*
*Protrahitur, t ali iiſq́; datur regione fruiſci*
*Votis vbi haud reſtat locus.*
*Aſſertori igitur, tali pro munere, grates*
*Quas æquum haberi ducitis?*

K ij

*Fallor? an omne genus morbi ilicet, agmine facto*
*Trudetis ad Ditis lacus?*
*Et dabitis, ſummo vos qui guſtauerit ore,*
*Semélve naribus hauſerit:*
*Sic animis nomen Cluſî imbibat, vt nihil vnquã*
*Seu Luna, ſeu Titan micet,*
*Quàm Cluſî laudeis meditetur, & omnibus oris*
*Dicat bona in cum plurima?*
*Annuite. vna Deum, nam ſi Glaucũ facit herba,*
*Quid non ſimul præſtabitis,*
*Vos ô Radices, vos ô, cum Floribus, Herbæ,*
*Ramisq́ munitæ Arbores?*

AD LAEDAM. DE IVSTO LIPSIO.

*Tolle tuas, ô Læda, fores: vt tempore lucis*
*Nigræq́ noctis tempore,*
*Liber & introitus, cunctis ſit, & exitus vrbis.*
*Inſigne quod ſi Clauium*
*Non fruſtrà geſtaſſe velis: tunc mœnia multis*
*Face vt locis ſint peruia.*
*Herculeis nam ſi quondam de Gadibus vnus,*
*Titum vt videret Liuium*
*Venerat Italiam: totus confluxerit orbis*
*Vt ora cernat Lipſij.*
*Scilicet hoc viſo, non tantum Liuius vnus,*
*Sed viſa erit ipſa Antiquitas.*

IN VACERRAM.

*Conſenſu populi, Patrumq́ punctis,*
*Factus, en, hodie eſt Vacerra Conſul:*
*Mendax, lurco, madens, tagax Vacerra,*
*Cordis cui neq́ mica, nec cerebri:*

Ni



*Ni forſan latitet paterna in arca*
*Auri inter cumulos, graueisq́ gemmas.*
*Et te adhuc aliquis reprêhendit olim*
*Cai Cæſar, Equo quod Incitato*
*Decreras dare tres nouemq́ faſceis?*

AD PETREIVM TIARAM.

*Si tibi adhuc aliquem incutiunt, longæue Tiara,*
*Fata metum, fruſtrà mentem animi excrucias.*
*Nempe, illi extraherent tã longa in tempora vitam,*
*Qui medicaminibus millia multa hominum*
*Vnguibus eripuit fati, fruſtrauit & ære*
*Perſephones nautam? non ita Pluto velit.*
*Quod ſi fortè tamen cæco te lumine Morta*
*Præteriit, tendes tandem & ad Elyſium:*
*Indigniſſima erit certè clauſiſſe ſepulcro*
*Terra tuum corpus, cedat vt eſca ſibi.*
*Quin, Heliconiadum fueris quod viuus amator,*
*Poſt obitus, melicam te Deæ auem eſſe dabunt.*
*Et vel Luſciniam, vel ouantem rore Cicadam,*
*Vel Cycnum fingent melligenam vel apem.*
*Mentior. haud ſatis hoc: monſtrũ nouũ eris cõpoſtum*
*Ex Philomela & Olore, exq́ Cicada & Ape.*

AD AEMILIVM ROSENDALIVM.

*Miratur populus totas conſumere luces*
*Tecum quod, Æmili, iuuet.*
*Quid ni? neſcit enim quantum dulcedinis in te*
*Situm eſt, & eloquentiæ.*
*Quod ſi reſcierit, lucis me conterere horas*
*Haud, vt prius, mirabitur:*
*Sed potius ſolidas non Solibus addere noctes,*
*Tibi adeſſe perpes vt queam.*

## DE THEATRO ORTELII.

*Dixi ego, Cœleſteis iniuſtos ſæpius, arctis*
*Arctarant quod ſic vitam hominum ſtadiis:*
*Vt fas non minimam partem foret aſpicere orbis,*
*Nectareo vſq; licet afforet imbre Salus.*
*Claudit at Ortelius nunc os mihi, & omnia mundi*
*Regna, Vrbes, Fluuios, Culmina, Luſtra freta,*
*Exiguo dat poſſe videri tempore, quodq;*
*Plus, quoq; nos orbis eſſe facit Dominos.*
*I, Ducis Æmathiæ nunc dona extolle, ſubacto*
*Qui Poro Eoum reddidit Imperium.*

## AD IOAN. BODINVM. DE LIBRIS SVIS DE REP.

*Nuper vt Elyſij obtulerat cultoribus Hermes*
*Librum tuum Bodine, de Republica.*
*Ipſe alios inter, celeri Cicero quoq; legit*
*Quædam huc & illuc ſaltuatim lumine.*
*Vndiq; ſed Sophiæ videt vt ſpirare medullam,*
*Nitere verba ſuauia vndiq; vt videt:*
*A capite ad calcem ſtudioſè euoluit: & imo*
*Tandem trahens ſuſpirium de pectore:*
*Lætitia immixtum tamen: ô quàm vos Superi, inquit,*
*Frequenter immeritò ſcidi conuitiis.*
*Dum meam ego atteri iis famamq; decuſq; putabam,*
*Quæ columen & famæ & decoris erant meæ.*
*Certè ni mea tu, Reſpublica, tota periſſes:*
*Totus periſſet Marcus ille Tullius.*
*Námq; perire mihi eſt, quum Doctorum audierim Rex*
*Huc vſque, à te redigi, Bodine in ordinem.*

## AD HVGONEM DONELLVM.

*En quod ipſus ego, Donelle, carmen*
*Do tibi Atvatico oppido Gruterus.*
*En quoq; ipſe tibi, Donelle, carmen*
*In Lugdunide quod ſchola Gruterus*
*Dexteræ manibus meis tuæ do.*
*Prius credin? Aus. fidem at ſecundo*
*Derogas? facile id tamen probare eſt.*
*Hoc quidem Eſychius, Donelle, carmen*
*Fert tibi: Eſychius ſed vnus eſt cum*
*Grutero, Eſychioq; cum Gruterus.*
*Quicquid Eſychius facit, Gruterus*
*Facit, Eſychiusq;, quod Gruterus.*
*Idmne intelligis? optime. ille nam quid*
*Non intelligat, alta iuris vno*
*Quit Ænigmata qui expedire verbo?*



## AD GERARDVM BONTIVM.

*Dum medicas, Bonti, foliis & floribus herbas,*
*Radicúmq; legis & fruticum omne genus:*
*Ter tria te obtorto rapuerunt Numina collo:*
*Calliopéq; choros, Phœbe, agitamus, ait.*
*Vtq; manum tangit, parat & dare ſuauia labris,*
*Erratum ſubito agnouit, & erubuit.*
*Expectata tamen tulit oſcula, & inſpirauit*
*Diuinæ cum anima particulam auræ animo.*
*Atq; dedit taleis teſtudine ludere verſus,*
*Momus vt admorſo triſte gemat labio.*
*Hinc, modò qui Hippocratis fueras prius, vnius hora*
*Momento, melicus factus es & medicus.*

## IN HERBAR. ANDR. MATTHIOLI. PHOEBVS LOQVITVR.

*Cauſam aliquis quærit, cur mea dextera vt olim,*
*Ægrotis medica ſubſidio ſit ope?*

Hactenus hoc hominum impediit mens ſcæua, fide quæ
Dum lenociniis Bambalionum adhibet:
Tam leuioris ego ſum habitus notæ, vt haud foret vnus
Qui peteret noſtris conſilium ex adytis.
Nūc me aliud remoratur. bonos neq; priſtinus, artem
Priſtinam vt exhibeam mentem animi impulerit.
Matthiolus facit hoc: qui depoſitos Libitinæ
Doctius extorquet me, arte noua è capulis.
Et, quas, radices, flores, herbas venari
Per ſaltus, per aquas, per iuga cogor ego:
Ille papyrinum eâ breuitate redegit in æquor,
Temporis vt puncto cuncta oculis pateant.
Tollo igitur digitum, & capiti quæ ſerta meo halant,
Matthioli meritò cedo volensq; comæ.

## AD MVSAS. DE IANO DOVSA NORDOVICE.

Dicite, Mnemoſides, vobis quidnam eſt animi, aptat
Quum varia Æoliis carmina Douſa modis?
Núm ve iterum exuto Venuſinus Olore, putatur
Pindaricas terſa diuidere aure fideis?
At pede dum teneros alterno tinnit amores,
Creditis ora Vmbri cernere Callimachi?
Et vaga dum inflectit laſciuo Epigrammata torno,
Dicitis: Argutus Lesbiæ amator adeſt.
Quúmq; ſuis Latium puris prior ornat Iämbis,
Quæritis, acre nimis fel ſit vbi Archilochi?
Et tubâ vbi auguſta clangit taratantara, magni
Ritè ſalutatis Virgilij ingenium:
Annuitis ſcio, ſed quum non fieri pote vt unus
Tam multis validè mactus eat geniis:
Coniicitis rectè, Phœbum hac ſub imagine claudi,
Dum tentat num vos ſic latuiſſe queat.



## DE IACOBO ROSENDALIO. ALLVSIO.

Viderat vt Roſeæ Vallis loca, mater Amorum
Ditia delitiis, ditia blanditiis.
Ocyus alitibus contendit ad aſtra quadrigis,
Ludentemq; rapit cum Ganymede Deum
Qui face, qui iaculis terram, mare, ſidera, terret:
Ac Roſea, ridens ſuauia, valle loca.
Inſit &: heus age quis qui lumine corda hominū orbus,
Inſpexiſſe potes, te angulus orbis habet?
Ille, diu captans vicinas naribus auras:
Idalio ſiſtor, mater, ait, nemore.
Scilicet, an ſolito quod copia maior odorum,
Sperabas natum fallere? tum Charites,
Falſus at es certè: ſed ſic tamen, vt Venerem vnà
Erroris, comites nos habeasq; tibi.

## AD RVMOLDVM HOGEBESIVM.

Amiciſsime amice, quum voluntas,
Iamdudum regat vna meq; teq;.
Fruſtrà miſero ego tibi Kalendis,
Iani munera. nam nihil potis ſum
Modò mittere, quod quoq; ipſe non ſis
Miſſurus mihi. Quicquid ergo luce hac
Decreras mihi mittere, id habeto
Rumolde ô, tibi: non velut tuum, ſed
A me ritè datum tibi. ipſe contrà
Habebo mihi, ſit velut tuum, quod

Decreueram tibi mittere.inuenire
Ecquid tertium enim queas,queam:quum
Amiciſſime amice mi,voluntas
Iamdudum regat vna méq; téq;?

AD AELIN.

Vt me delitias feli facere aſpicis, Æli,
Vxor,ais,quondam pulcra futura tibi eſt.
Si coniectura non falſa niteris, Æli:
Es coniux nunquam tute futura mihi.

AD IANVM CASTRIVM.

Seu Caſtrum tibi, Iane, dedit ſeu nomina Caſtor:
Dignus eris Caſtro, Caſtore dignus eris.
Nam veluti hoſtileis defendunt Caſtra rapinas,
Suntq; ſuis tutum ciuibus hoſpitium:
Sic Patriæ arcebis,virtute,manúq; duellum
Limitibus,longa pace dabisq; frui.
Caſtor Athenæa vt repetiuit ab vrbe ſororem,
Vellus & auratum cum ſociis rapuit:
Sic diam priſco cumul abis honore Poëſin,
Lucésq; è bifido monte Heliconiades.
Doctus erat volucreis Caſtor frenare caballos:
Tu regere indomitum doctus eris populum.
Caſtori & vt,quum iam languerent lumina morte,
Reddita Pollucis vita magiſterio eſt:
Sic vbi fataleis occauerit Atropos annos,
Vita tibi ſurget altera Carminibus:
Carminibus,quæ ſic mulcebunt pectora vatum,
Caſtoris vt miſeras,fratris & aſtra,Rateis.

AD



AD AEMILIVM ROSENDALIVM.

Mirabar,à te literarum quod datum
Mihi hactenus foret nihil:
Nunc deſino:mirórq; ſolùm,quod mihi
Adhuc ſalutem adſcripſeris.
Nam quid? tuum vt dulce audiat Niger latus,
Tibiq; ſim cordi tamen?
Non factum oportuit:Sodalium eſt enim
Lex ſancta,Nolle & Velle idem.
At quod minus Canis,minus Serpens Nigro
Inuiſa ſit,quàm ego,palam eſt.
Quare,quod angue non peius,peius cane,
Me habueris odio,Æmili:
Grateis ago tibi lubenter maximas.
Caue tamen,ne dum ſtudes
Mihiq; & illi Amicus eſſe,mox neget
Amicum vterq; ſe tibi.
Lepores duos venaticus ſanè inſequi
Canis qui amat,neutrum capit.

AD IANVM DOVSAM FILIVM.

Non latet in ſcriptis amor ille fidelis amici.
Indiciúmq; doloſum eſt animi,ipſa manus.
Sed quoniam Legis vim habet aſſuetudo Bonorum:
Fingit & illa iſtis pondus ineſſe notis:
Parebo,& tradam ſemota fraude perennis
Qualiacunq; meæ hæc pignora amicitiæ.

FRANCISCI DVARENI MANIB.

Aſtrææ venerande Deæ,Duarene ſacerdos.
Cui Sophiæ ambroſio lingua madet latice.

Quæ tibi quæ inſinuat ſe Sphinx, atq; in via magnis
Iura iubet fandi ponere Cœlitibus?
O reſponſa, ſacra Themidos librata bilance!
O ſenſa, hauſta puto Mercurij è cerebro!
Felix cui licuit coram te audire docentem,
Qualia ſcire homines non potuere priùs.
Ipſe nec infelix, cui fas tua ſcripta tueri.
Hei mihi, quod propius illa ego non imitor!

IN IVSTI LIPSII CONSTANTIAE LIBROS.

Ecce quid hoc? Martis propè nant in ſanguine Currus
Quos circum effuſo Mors volat vda gradu.
Extenduntq; ſui Eumenides pomœria regni
Longè vltra Heſperidum Memnonidumq; plagas.
Et tamen inter agit Bellonæ Pax placide enſes,
Anguium & impoſitis colla premit pedibus.
Non mentita equidem ſub imagine, Mater Amorum
Spartano quali viſitur in populo:
Laureola ſed nupta comas: ramum hac manu oliuæ
Prætendente, illa ſeminij omne genus.
Cui quoq; ei ſe dat comitem flos ille Dearum
Quem ſcelerata hominum vita fugauit humo.
Fallor? an hæc accepta tibi miracla feruntur,
Delitium humani, ô Lipſiade, generis.
Non fallor patrare bonâ tibi & vnico & vni,
Perfica aue, inſigne tale dedit facinus.
Dic ſed age (Inuidiæ nec enim fert ora Minerua,
Fasq; vetat Cererem clauſtra ſubire Famis)
Qua tibi, qua arte Erebi Furias, cuneosq; Gradiui,
Eſt datum inexplicito ſic tenuiſſe lupo?
Fors



Fors an, vt Æſonides Tauros, vigilémq; Draconem
Cantati exarmat graminis obſequio,
Sic inimicorum ſcelara impia, carminis alto
Compeſcis magici ritè magiſterio?
An, veluti Thetis Æacidem Lympha Styge inundat,
Sic tibi ità intacto largius amne Deæ,
Sunt merſæ: vt quamuis dare damna libido ſtet hoſti,
Parte tamen nulla ſit dare damna potis?
Certè, ſiue hæ ſunt, alia eſt ſeu cauſa, Meneni
Tu mihi tu tanto maior, eris genio:
Quanto onerofius eſt contraria Numina inerti
Quàm dubios Populo conciliare Patres.

DE IANI DOVSAE NORDOVICIS POEMATIS.

Nox vbi, Perſephones laxato carcere, Olympum
Nigrante nubit infula:
Surſum homines tollunt oculos, mundiq; tuentur
Modò hæc, modò illa lumina,
Diſpiciuntq; ſibi haud pauca innumero è numero, acre
Quibus palam imputent iubar.
Sol at vt igniuomam quaſſando lampada, Noctis
Equabus iniicit fugam:
Illicet exiguæ faculæ moriuntur, vbiq;
Stetere, dicere haud queas.
Sic quoque ſi ſurgat Vatum monumenta libido,
Modò hæc, modò illa voluere:
Fors quædam melioris erit ſpectare monetæ,
Reconditiq; Spiritus.
At quum Douſeæ oſtentant ſe emblemata Muſæ,
Fabra Cupido quæ manu,

*Mille locis, & mille modis ità vermiculauit,*
*Se Apollo victum vt ingemat:*
*Cedite Romani Scriptores, cedite Galli,*
*Sonus virûm vnus omnium eſt.*
*Qui volet ergo, Eratus montes laticéſq; fatiget,*
*Canorus ales vt cluat:*
*Douſæ ſcripta Helicon mihi erũt, mihi erũt Aganippe,*
*Poëta mox vt audiam.*

---

## AD BONAVENTVRAM VVLCANIVM.

*Si quiſquam ex animo eſſe tibi cupijt bene, & alba*
*Se genio tuo amans inſinuauit aue:*
*Quem neq; proſubigat trepidante metus pede: nec Sors*
*Lætior extimulet omniuolum ad facinus.*
*Huius ego numerer, Vulcani, in claſſe, fidemq;*
*Anteire Hirtacidæ me puta in Euryalum.*

---

## PRO AEMILIO ROSENDALIO.

*Nympharum illecebræ, doliq; Fauni,*
*Faunorum illecebræ, iociq; Nymphæ.*
*Hanc vobis patulam arduámq; pinum:*
*Dulces, vnanimi, optimi, Sodales*
*Ianúſq; Æmiliúſq; conſecramus.*
*Vos ô vos date nil canis moretur*
*Inſani rabiem, gelúq; temnat*
*Ripheis quod Hyems vebit cauernis.*
*Sicq; illam aſſidua irrigate lympha,*
*Seu Titan Tethyos fugit petitve*
*Sinum, vt quottidie magis magiſq;*
*Creſcat robore, largitate, forma.*
*Nam exemplo illius, in dies & horas*

Noſter



*Noſter creſcet amor, quouſq; tandem*
*Heroas ſuperet prioris æui.*
*Paſtores ſed vbi ſub huius vmbra*
*Compellent, cum ouium coborte Capras,*
*Inflabuntq; ſono altiore auenas,*
*Sic, Dij, illis regite os manúmq;, nil vt*
*Et ſurgente die, & cadente cantent*
*Quàm Roſendalij & Gruteri amores,*
*Meros, perpetuos, pios amores.*
*Oblitis ità vt bæduli parentum*
*Solent vberibus, canéſq; nomen*
*Nullius magis audiant lubentes,*
*Quàm Iani, Æmilijq;. Ventus ipſe &*
*Perflabit quoties ſuo binc & inde*
*Frondeis flamine, flamen vſq; & vſq;*
*In laudeis eat vtriuſq; noſtrum:*
*Spiritúq; animoſiore clamet,*
*Quàm olim, quum tremulas mouendo cannas*
*Fecit Agricolis palam Mydæ aureis.*
*Exceptoſq; iterando ſæpe voces,*
*Exultent nemora: illaq;, optima olim*
*Virgo, mutila iam at ſine artubus vox:*
*(Narciſci haud meminens ſui amplius) nunc*
*Se Herum demum Alium perire dicat.*

---

## AD DOMINICVM BAVDIVM.

*Ergo meum, Baudi, nomen quoq; charteolo aruo*
*Incidi teſtem poſcis amicitiæ?*
*Non decet. eſt tua enim virtus ea, & ingenij aura,*
*Vt te omnes ipſis vſq; ferant oculis,*
*Queis vel tantillum Clius ſapit aurea linguæ,*
*Queis vel tantillum eſt priſca in honore Fides.*

*Nedum ego, qui digitos Sophiæ tecum admoueo Aræ,*
*Aſtrææq; minus ſto aduena liminibus!*
*Verùm vt mens animi tibi ſit ſecura mage, & nunc,*
*Et mox, quum his illis ſpreti erimus ſpatiis:*
*Obſequor, exq; mero genij candore, perennis*
*Syngrapha quæ poſſum hæc trado ſodalitij.*

## AD PETREIVM TIARAM.

*Dum reſonante, Tiara, canis tua carmina filo,*
*Rhenus & arrecta deuorat aure melos.*
*Ad pulſum, numeroſq; polis excitus Apollo,*
*Mercurius poßit quid videamus, ait.*
*Tempora Cycneus ſed vidit vt æmula pennis*
*Ecce, Coronides heîc meus, inquit, adeſt.*
*Tun' quoq;, nate, patrem ſuperare lyraq; modisq;,*
*Incipis? an medicum vincere non ſat erat?*

## AD CVPIDINEM. PRO HENR. SCOTANO.

*Ecce Amor, hunc dat habere tibi Scotanus Olorem,*
*Iſtum etiam dat habere, ecce Gruterus, Amor:*
*Qui te remigio terris cœloq; reponant:*
*Qui per inane tuæ plauſtra parentis agant.*
*Tu da noſtra regat talis præcordia candor,*
*Qualem auis in pennis vnus & alter habet.*
*Vtq; duo hi vnanimè ſua ſubdent colla capiſtro,*
*Fors pariterq; petent Elyſij arua chori:*
*Sic nobis animos fac miſceat vna voluntas,*
*Æqualiq; gradu Noctis eamus Heram.*
*Sin modò ab alterutro petat Orci nauta trientem:*
*Corpore viuat adhuc mortuus alterius.*

IN



## IN EDITIONEM PLAVTI IANI DOVSAE.

*Gaudete Aonidéſq;, Gratiæq;,*
*Et quantum eſt virûm vbiq; cultiorum.*
*In lucis redit, ecce, Plautus oras.*
*Plautus, quem tineæq; araneiq;*
*Dudum ergaſtulo in improbo malignè*
*Catellóq; ſitúq; manci parant.*
*Douſæ at vindiciis ſagacioris*
*Priſtinum aſſeritur modò in ſuum ius.*
*Videtiſne vt vtriq; Olor Diones*
*Alæ remigio potente plaudat?*
*Videtiſne, Iuuenta vt impedita*
*Frontem perpetui viroris herba,*
*Viarum reſeret moras, humiq;*
*Crocum quà graditur, roſasq; ſpargat?*
*Videtiſne columbulorum vt agmen*
*Roſtro ac vngue ferant ſuaue-olenteis*
*Arboris Cythereidos corollas,*
*Atq; iis gnauiter hunc & hunc obumbrent?*
*Hà quid? num comitante Amore magno*
*Ceteráq; Cupidinum phalange,*
*It aduorſum etiam Venus duobus,*
*Et nunc baſia dat trecenta Marco,*
*Et nunc baſia dat trecenta Douſæ?*
*Sic ſanè eſt: labio, ecce ô vtriuſq;*
*Vt ſenſim immoriatur, impotente*
*Præq; gaudio amœnus ex ocellis*
*Ipſæ depluat imber: vſq; quo omnes*
*Ambobus faciem lauant lepores:*
*Abſterguntq; ſuis deinde plumis.*

*Et vos Aonidésq; Gratiæq;*
*Quantumq; eſt virûm vbiq; cultiorum*
*Immoto hæc pede quitis intueri?*
*Quin ite ipſi etiam obuiam, huncq; & illum*
*Salutate animo lubente & ore:*
*Reginæ meritiſſimóq; Cypri*
*Gratulamini, enim illa, Sarſinate*
*Perdito, cruciauit haud ſecus ſe*
*Ægritudine, quàm ſi Adonis alter*
*Interemptus apri furente dente.*
*Siq; tantulum adhuc modò irrepertus*
*Manſiſſet, lepidiſſima illa Diua*
*In totum occiderat: ſimúlq; cum ipſa*
*Luſus, Blanditiæ, Ioci, Lepores.*
*Quod ſi vos quoq; non ruina raptim*
*Traxiſſet ſimilis, die atq; nocte*
*In luctu, in lacrimis tamen fuiſſet,*
*Vobis Aonidésq; Gratiæq;,*
*Et quantum eſt virûm vbiq; cultiorum,*
*Ætatèm miſerè terenda vita.*

---

AD PETRVM PAVONEM. ALBO EIVSD. INSCRIPTVM.

*Ergo datum heîc mihi, Pauo, oculis hiſce vſurpari*
*Communes tot in atrio amicos:*
*Quos annò coram vidi, heu: meritóq; lubensq;*
*Nunc etiam cupio omnibus horis?*
*Saluete ò auro contra charæ tabulæ. imò*
*Pandoræ ô ſalue altera pixis.*
*Pixis, non ſæuorum amplo ordine fœta malorum,*
*Sed conchis ſata atq; ſmaragdis.*

Hà



*Hà, vt volup vt ſuaue eſt ſpectare papyrino in aruo*
*Puluinóq; nigrante cubantes*
*Tot diæ Aſtrææ myſtas, tot Auesq; dicatos*
*Hinc melico, medico inde Dearum*
*Præſidi, auent totas quæ ad Tempe Heliconia noctes*
*Ad Citharæ ſaltare accentus!*
*Téne igitur video Rumolde Hogebeſi anime ac mens*
*O mea, & ô te Corculum Eſinga?*
*Téne igitur video, Aſclepi duo lumina magna,*
*Dodonæe atq; Huerniadæ vis?*
*Téne igitur video, Leonine ampliſſime? téq;*
*Pollio, cum Eſychioq; Niueldum?*
*Ten' quoq;, ten' video Rhaphlenge, Blypurge, Buæſi?*
*O ter fauſta dies, oculiq;*
*Felices noſtri, quibus in regione auſtera,*
*In mundi regione extrema,*
*Pectora tot fas eſt pellucidiora electro,*
*Et niue candidiora, tueri.*
*O ſi te quoque ſic poſſem heîc ſpecere inclite Douſa,*
*Douſa meus, Diuûmq; amor omnium.*
*O ſi te quoq; ſic Lipſi, Suadæ aurea lingua,*
*Iuſtitiæ hoſpitiúmq;, Donelle!*
*Tunc haud crediderim me extorrem pinguibus aruis*
*Patriæ in orbe habitare maligno:*
*Verùm interq; roſas, lemniſcatásq; corollas,*
*In gremio dormire Diones.*

---

MARCELLI CETERI NANIB.

*Téne igitur Mortis quaſſum, Marcelle, cupreſſo*
*Ah, ſpecio ante diem?*
*Tótq; exantlatos noctúq; diúq; labores,*
*Hora dat vna neci?*

L ii

Sic, heu, ſic teritur Roſa campeſtri pede, nondum
Prompta probè è calyce.
Hà, ſi, ex quo orbata eſt generoſo Octauia nato:
Lex Superis rata ſtat:
Marcellos omnes iuuenili ætate, perire
Non remeabile iter:
Cur non Conſulto decrerunt Numina eodem,
Pro pietate ſua,
Marcellos omneis in funere habere Poëtas,
Virgilio ſimiles?

---

## PRO MELLONE BRVNSEMA.

### AD CVPIDINEM.

Sancte Cupido, Cupido hominum qui pectora nexu
Diſſolui nunquam non metuente, ligas.
Mellonine meos dabitur locus inter amicos?
Quid ni? ſi iuuenes ſunt in amore tibi
Ingenio rari, rari pietate fideq;,
Atq; operati iiſdem tu quibus ante ſacris.
Et nondum hic meus eſt? meus, ô Mello, eſto. ſuperſtes
Dum mihi per Parcas ſpiritus oris erit.
Quid dico? eſto meus quoq;, quum laticem hauſero Le-
thes. Aut Lethes ſi quid triſtius uſpiam aqua.
Iamq; adeò nunc arræ habeas vice, amice, perennis,
Hîs graphicè Tabulis nomina ſcalpta mea.

---

## PRO EODEM. SENATVI POPV-LOQVE APIVM.

Quin pauſam facitis, Faui parentes
Huc illuc celeri volare penna,

Puſillum



Puſillum & toties ferocienti
Obiectare Noto caput, fragrantis
Vt Veris populemini liquores?
Quin heîc, quin potius venitis omnes?
Mellonis facilè en habent labella
Tantum in ſe ambroſiæq; nectarisq;
Quantum ſat fuerit referciendis
Veſtris gnauiter vſq; & vſq; cellis.
Nam Lucina vt ei dedit tueri
Solis lampada, riſit orta ponto
Suauiter Venus, ocyusq; iuſſit
Infantis dare crebra ſuauia ori
Formoſas Chariteis, ſimulq; multum
Inſtillare anima liquente odorem,
Qualem Mattya habent, meraciùs quum
Cælorum dominis propinat Hebe.
Et hoc tam potis eſt diu fuiſſe
Ignotum, ſoboles bouina, vobis?
Nomen quum quoq; ei ſit inditum, quod
Nil ſpirat niſi mel merum, melosq;?
Non certè latuit me: adeſſe dixi
Sed Platonem iterũ, alterum aut Platonẽ
Antiquo ſimilem. venire verùm
Vt vos nullus ego, aut abire ſenſi:
Incepi, eſſe aliquid Platone maius
Mellonem, meliusq;, ſuſpicari.
In quo me mea opinio haud fefellit.
Quod ſi & vos facere, ô aues, periclum
Vultis: ite modò ad labra eius: ite,
Ac guſtate palati amicius mel.
Siq; illo Indicum, Hymettium Sabæum
Dicetis melius: genus recuſo

L iii

*Nullum ſupplicij. me & ecce iam nunc*
*Noxæ dedo lubens. fidem at meis ſi*
*Verbis inuenietis: eſte gratæ,*
*Et quacunq; ſecatis aëra alis,*
*Mellonémq; patronum, & Indicem Grüterum*
*Ferte illuſtria acuto ad aſtra bombo.*

# IANI GRVTERI
## HARMOSYNES, SEV OCELLORVM
## *LIBER PRIMVS.*

NOBILISS. VIRO.
IANO. DOVSAE.
DOMINO. A. NOORTVVYC. &c.
PRINCIPI. POETAE.
PIGNVS.
AMORIS.
AC.
OBSERVANTIAE.
HARMOSYNEN.
SVAM.
DEDICAT. CONSECRATQ.
IANVS. GRVTERVS.

# IDEÆ PVLCRITVDINIS,

## HARMOSYNAE.

MEmnonis vt cautes orienti Solis ab igne
  Tacta, dat artificem voce liquente ſonum.
Illo autem Heſperio mergente ſub æquore currum,
  Stridenti querulos ore ciet gemitus.
Sic quoque ego ipſe, tuis vbi luſtror, Vita, pyropis:
  Sentio mi exanimo ſe inſinuare melos.
Non rude: quale ſed ipſa Venus Charites docet, inter
  Mnemoſidas agili dum pede pulſat humum.
Oris ſed tui vbi ſe auertit dia figura:
  Incipio exanguem verti iterum in lapidem.
Sin quicquam crepo, id eſt mage lamentabile inerſq;
  Quàm planctus viridi quem ciet axe Rota.
Ne mirere igitur, nihil, Harmoſyne, eſſe libello hoc
  Quod ſapiat Veneris, aut Charitum ad genium.
Nam mihi, dū miſera è ſtipula hos malè ſibilo verſus,
  Aſpectus facta eſt copia nulla tui.
Quin potius mirere ſonus Silici vnde mihi adſit.
  Memnonis anteferar parte & in hac ſtatuæ.

Ex quo, cor mi adamantinum, Puella
Perfregit iaculis Ocellulorum,
Inſcalptam gero & ipſius figuram
In cordis penetrali: ita vt ſibi nil
Iam formoſæ habeat rei aut beatæ,
Illic quod graphicè videre non ſit.
Quid mirum ergo meas facem medullas
Æquè exurere, ſiue mî tueri
Fas ſupercilij potentis arcum,

Spernar



Spernar ſiue ab eo procul? meo quum
Pectore effigies latens, venena
Tantùm non grauida vſq; & vſq; ſpargat,
Vinq; illam obtineat nocendi, haberet,
Quam præſentis Heræ iubar ſuperſtes?
Sic olim quoq; credo, ſic imago
Prolis Lyriopes calore eodem
Torquebat Dominum, ille quo ſolebat
Torquere antè viroſq; fœminaſq;.

Si carioſe Charon, vbi pauſam fecero vitæ,
  Debeo agi Eumenidum, te duce, per latices:
Cymba tua interiit, tui & interiere trientes.
  Mox pedi enim ſicco per Styga ſemita erit.
En quantis mea corda vomant incendia flammis.
  Aura en vt flagret proxima, & en; vt aqua.
Certè ego non quinos tantum exſiccare queam amnes,
  Sed ſi ter tanto plura fluenta forent.
Quum tamen haud poßint lucro tua damna mihi eſſe.
  Damna tua vt fugias, conſilium hoc tibi habe.
Effice, Mortis vt, vno & eodem tempore, tela
  Traiiciant pectus hinc Dominæ inde mihi.
Mox & vtrumq; vehas: nam ſi accipies ſine me illam:
  Trabs tua mox medio flumine ſtabit iners.
Tam portentifico ſiquidem vndiq; frigore pollet,
  Continuò vertat vt liquida in glaciem.
Nos at vbi iunctim tolles: ſic frigida caldis
  Certabunt, curſu vt inuiolato aqua eat.
Tunc ne, quæſo Senex, vento des carbaſa: remum
  Sed ſatis extremis tangere ſit digitis.
Fixo vt ibi intuear ſaltim diu eam orbe oculorum,
  Cernere quam in vita non potui eſſe ſatur.

Sed quid ego hæc? fallórne? an, nos quum ceperit ædis
Perſephones, dabitur perpetuò eſſe ſimul?
Non fallor. nam ſic graſſari quum igne videbit
Me Pluto, nimium ſicq; gelu Harmoſynen,
Cogemur ſedem, Rhadamanti calculo, in vnam:
Detrimenti aliquid ne infera res capiat.

Stellæne ſic igitur malè me gemina illa reliquit
Quæ ſolida erranti Lux animæ vnicè erat?
O dolor! in tenebris nunc omnis vita mihi: omnis
Nunc per fallaceis planta ferenda vias.
Nunc mihi nunc venient centũ volucri agmine Curæ,
Nunc ſitus & gemitus, nunc lacrimæ atq; dolor:
Præterea & quicquid Stygis vda habet vnda veneni.
Pandoræ & quicquid pixis aperta vomit.
Hà Sol! longa tibi quid ſpiſſior eſt coma ab auro,
Mane vbi progrederis de Oceano altus eques?
Et tu, pallenteis quid Noctis diſiicis vmbras
Fraterno ſtrophio Cynthia cincta caput?
Veſtra quidem terras & cœlorum ardua lampas,
Deſubitò immenſa luce beare poteſt.
Vnus ego, vnus ego tanti ſum muneris expers,
Mens animi in tenebris totáq; palat adhuc.
Sola diem Harmoſyne eſt præſens mihi reddere, ſola
Tollere de affectis pectoribus nebulas.
Quæ, dum adeò procul eſt, Diuûm vnũ hoc Numine adoro,
Corpore in hoc perpes Somnus vt altus agat:
Dum mihi luciferos iterum oſtentabit ocellos,
Promet & Eoam de occiduo orbe diem.
Aut ſi luciferos nunquam oſtentabit ocellos,
Eripiat viſus mox mihi vt aſpera acus.
Solùm enim ob hoc oculis vtor, vtárq; deinceps
Vt ſit iis Dominæ cernere dulce decus.

Vt



Vt libet, extremos propera, Harmoſyne, ad Garamantas:
Imò & Hyperboreûm finibus vlterius.
Præſtò tamen ſimulacra aderunt nobis tua, & vnâ
Sexcentas cernam pro Harmoſynâ Harmoſynas.
Nam, veluti inuaſit rabies quem dente canina,
Aſpectat media ſpectra moloſſi in aqua:
Sic tuus vt genuinum in corde infregit ocellus,
Abſtulit ac variè mentem animi in furias:
Seu tuear cum Terra Ignẽ, ſeu cum Æthere Lymphâ,
Seu, quæcunq; ab eis ſemina proueniunt:
Ilicet occurſat rarus capitis decor, in ſe
Quælibet & tuam habet materia effigiem.
Fruſtra igitur frontis, mea lux, obnubis honoreis,
Sit mihi quum lucro quo nocuiſſe paras.
Sin autem minimè faciem abſcondis, mihi vt obſis,
Sed tua ne poſſit lumina Amor fugere.
Fruſtra iterũ es. nã ideo ſolùm atria Olympica liquit,
Diuûm alius ſedem hanc ne ſibi præciperet.

Ceſſate poſthac, ô oculi, genas
Rigare fletu. plus ſatis eſt Herum
Mera ſemel ſecuritate,
Perfidiáve dediſſe peſſum.
Tum tum ora erat fas mergere lacrimis,
Hoſteis videres quum è ſpecula ardua
Non longè abeſſe, & ferre ſecum
Auxilij numeroſi aceruos.
Quanquam putares robore enim imparem:
Tamen paciſci cum hoſte fuiſſet, aut
Caſtris relictis clanculum, acri
Quærere diffugio ſalutem.
Nullum ingruentis ſignum at vbi mali

Dediſtis: enſis iam iugulo ſuper
Pendebat, antequam liqueret
Exitij foret ecquis auctor.
Ergo ſub atri carnificis iugo
Trahenda deinceps vita, doloribus
Nouis vt vſq; ſuppetens, trux
Aucupium renouem Promethei.
Ah! non ita olim Tyreſias Deam
Spexit lauantem in flumine limpido,
Limiſq; membra illa illa pulcra,
A capite ad digitos notauit.
Nullam inde pœnam ſuſtinuit, niſi
Carendum ei quod luminibus fuit
Illis, quibus ſpectaculum aureum
Luxurioſè adeò vorarat.
Mulctámq; ferret quò moderatius,
Mox pro caduca oclorum acie, accipit
Iubar, quod heîc futura non dat
Scire modò, aſt etiam inter Vmbras.
Mei autem ocelli, dum Harmoſynen ſuo
Indutam amictu forte vident, luunt
Erroris haud ſolùm vſq; pœnam,
Tranſit ea in reliquos ſed artus.
Exemplo iniquo: Numina forſitan
Legem æmulentur ni Macetum, iubet
Peccante quæ vno, idem vniuerſo
Supplicium generi manere.

Ah, ne operi, Puer, ah, ne operi laquearia lychnis.
Veſpere enim hoc mecū heîc Harmoſyne hoſpes erit.
Curabitq; ſit huic lux multô clarior aulæ,
Quàm Solis, quum eſt ſudum, eſſe ſolent radij.

In



In multámq; licet perſtent conuiuia noctem:
Copia erit iubaris non tamen vlla minor.
Quid minor? accipiet magis ac magis incrementum.
Nam veluti exangueis fax furit in ſtipulas:
Sic ſplendore oculorum hera auet mea diſiicere omnes
Noctis, & haud nocti diſſimileis tenebras.
Quin potius nunc i, & Libitinæ accerſe miniſtros:
Colorer à quibus in veſtibulo exanimis.
Nam ſimul ac Dominæ fuerit mihi copia, ſedes
Atq; ipſi dabitur è regione mihi.
Ore Meduſeo prius haud capiar diuelli,
Corpore quàm toto ſaxeus obrigeam.
Tunc tamen, ô, mihi, Cœleſtes, demum vſum oculorum
Tollite, erunt quum iam cetera membra lapis.

Viſa quod es mihi heri incompto, Harmoſynilla, capillo,
Dum feſtino meis ferre epulas oculis.
Parce caput ſtrepitu toties terrere, & in omne
Seculum ab aſpectu me prohibere tui.
Debueram meliore queri ratione ego: ab illo
Tempore nempe excors factus & exanimis.
Nam tu non ſecus ac anguem cerui halitus antris
Excitat, Oceano ſurpit & Iris aquas:
Corq; animumq; mihi, heu, oculo magnetico, ab imis
Multa minata hauſiſti illicò viſceribus.
Sed benè habet. pueros imitaris, qui vſq; quiritant
Damnum ipſi atq; malum quum dederunt paribus.

Olim, ergo te radiorum aliquot, Cor, millia
Clepſiſſe Heræ ex Ocellulis,
Vireſq; reſtauraſſe iis ſtatim tuas
Siti fameq; marcidas?

Summum ô ſcelus! manere ſic me perpetim
Heu, fata acerba contuor!
Quin, en, maligniore iam nunc ſibilo
Aues caput malæ ambiunt.
Quin & citato Robur & Rigor gradu
Seſe obuiam mihi ferunt.
Quid, heu, quid hoc? manus pedesq; vinculis
Sic implicari innoxio?
Hà quò feror ſublimis? hà quis Caucaſus
Duris me adurit cautibus?
Et ô quid altis Cura morſibus iecur
Radicitus depaſcitur?
Et ô quid indidem renaſcuntur feris
Diſcerpta membra ab vnguibus?
Deſiſtite ô. nam ob quid nefanda Patrui
Pyrrhæ pati me tormina?
Enim haud malis ſubduxi ego ignē fraudibus
Benè vt foret mortalibus:
Scintillulas modeſtè Heræ è ſacrario
Quò vnus fouerer abſtuli.
Sed quid? nocénsne ſum, Dei, æquè ac Iăpeti
Furace ſemen dextera?
Parémq; ei neceſſe ferre me crucem
Moriente nunquam in corpore?
O aſperam Sortem, meisq; flebile
Vel hoſtibus ſpectaculum!
Me namq; nunquam (olim vt tagacem illum Hercules)
Heræ hinc feret benignitas.

Nuper vt huc illuc ibat Mors alite paſſu,
Ditaret cenſum quò Libitina tibi.
Obuiat Harmoſynæ. cuius dum ſingula luſtrat
Membra, cor à rabie ſenſit agi omne ſibi.
Iàmq;



Iamq; nigro ſubigens infamem in cote ſagittam,
Lethalem plagæ deſtinat, ecce, locum.
Quum ſtabulatus Heræ ipſa in fronte Cupido, & opimè
Tunc ceſu immerſus vndiq; delitiis:
Vix tandem inſidias ſenſit, precibusq; minisq;
Noctè ſatam iuſſit ire procul Furiam.
Illa negat primùm: ſed cedere nolle vt Amorem
Vidit, ità eſt rauo pauca profata ſono:
Sit, puer ô, quanquam tantæ graue parcere formæ:
At parcam; quoq; tu ſi facere iſta voles.
Nempe quot ex oculis radios iaculaberis iſtic,
Subiicias Orci tot capita imperio.
Vſq; adeò vt vetus ille Charon, mox ſe neget vnum
Poſſe rate vnâ, omnes trans Styga ferre animas.
Annuit his infans: Peſtisq; inamœna receſſit:
Ipſeq; carnificis munere perpes ouat.
Hà, Mors, Mors! quā nūc celebras victura triūphum,
Otio eſt in ſummo ſecula cuncta ſedes!
Iam tibi enim melius poſthac, vno hoc duce, regnum
Creſcet, rem quàm ſi mille ageres iaculis.
Te pudeat ſed, Amor, pacta illa inhoneſta tenere, &
Perdere tantum hominum ſit tibi vt vſq; bene.

Vos quibus in ſonteis gladij conceſſa poteſtas,
Liber vt à damno, quiſq; ſit atq; metu.
Nunc, nunc fungimini officio, Harmoſynesq; refrenet
Lex animos, homines tot quæ anima ſpoliat.
Et ſpoliatorum pallentia corpora tractim
Ante triumphaleis raptat vbiq; rotas.
Sed properate, dū adhuc ſe animi intrà ſepta tenet, ne
Si rabere incipiat ſit labor omnis iners:
Detq; oculis decies maiores ſtragis aceruos,
Dente dedit quondam quàm Calydonis aper.

*Mox at vbi vinclis grauidata erit, ocyus adſint*
*Scita quater tabulis effigiata tribus.*
*Inq; ſolum ſolum, luſtro portata pietur,*
*Indomito aut numerò tota ſub æquore eat.*
*Nam ſi ætas monſtrum iampridem vlla intuita, vllũ hoc*
*Sæuius intuita haud, horrificumq; mage.*
*Ne expectate igitur, dum facta nefanda refutet:*
*Sed ſtatim in abſentem calculus ater eat.*
*Nam ſi, ſuppliciter dum nudat pectora, Phryne,*
*Iudicibus potuit flectere ad arbitrium:*
*Iſta, vno intuitu non vos modò flectet, at vſq;*
*Deſubitò trahet ex vnguiculis animam.*
*Sed quid? ſtatis adhuc? nec carnifices malè tetro*
*Includunt caput hoc peſtiferum barathro?*
*Hà verè, hà video iam Anacharſidis illud: eandem*
*Lex vim, quam caſſes pendulæ araneæ, habet.*

*O quæ potenti lumine non ſecus*
*De mente Diuos deiicis, ac Iouis*
*De monte deturbabat Oſſa*
*Anguipedeis Tonitrus Gigantas:*
*Has accipe Aras, Harmoſyne, quibus*
*Non thura, non mel, non ſtrophia inferam,*
*Non lactis obbas, non volucres,*
*Non pueros, nec aprum, nec hircum:*
*Sed cor meum: illic quod potiùs ſacra*
*Perire geſtit victima, viuere*
*Heîc quàm cum Hero, ferri ac eodem*
*Nunc tumido, timidóve fato.*
*Miraculum at quale intueor? ſuas*
*Num flamma vireis perdidit? & ingemens*
*Lugubre, ſtridet nigricanti*
*Ceu laticum foret icta nymbo?*

Lignis



*Lignis tamen nulla his Salamandra adeſt,*
*Quæ fulguranti algore hebetet faceis.*
*Solùm meum, illic palpitat cor,*
*In cineres cupidum reſolui.*
*Heu, heu! quid hoc? Cor, cor, video, eſt meum*
*Reſtinxit ignis quod violentiam:*
*Dum tam valens caloris eſt, vt*
*Ipſum adeò exuperet Calorem.*
*Sic bina vidi Pharmaca, robore*
*Lecto omni in vnum, cernere, nec prius*
*Ceſſare, quàm alterutrius mors*
*Pauſam alacri faceret duello.*
*Noli tamen tu propterea minus*
*Mihi eſſe verè propitia, ô Hera.*
*Superbiæ ſumatur aſt hinc*
*Materies potius, caputq;.*
*Mam cuius vnquam tanta potentia*
*Audita Diuæ eſt, lumine vti ſuo*
*Illam inderet vim cordibus, mox*
*Ipſa adeò vt Elementa mutet?*
*Hà neminis. Sed coniice tu hinc quoq;*
*Quantis coquantur viſcera ab ignibus:*
*Quantosq; fortiter ſupremos*
*Ore feram placido dolores.*

*Quum primùm ex oculis Dominæ, mihi retia Cypris*
*Tenderet, omninò retia ſerica erant.*
*Mox quibus vt captus, mille aligerum agmina Amorũ*
*Me circum facileis exhibuere choros:*
*Séq; Ioci & Riſus abdentes caſſibus iiſdem,*
*Finxere omne genus qua pote delitias.*
*Fortunámq; mihi gratati, ſuauia grata*
*Impreſſere oculis ſæpius & labiis.*

M

*Suaui a grata quidem: verùm inſidioſa, ſoporem*
*In lentum dum me nempe repente locant.*
*Qui ſimul atq; abiit: ſenſi manum vtramq; & vtrumq;*
*Aſtrictum neruis fortibus eſſe pedem.*
*Próq; Cupidinibus Curæ, innumeriq; Dolores;*
*Ambibant denſis nubibus omne caput.*
*Pallidus hincq; Timor, fera Deſperatioq; inde*
*Reddebant gelidum cor mihi cote magis.*
*Plorabam: hæcq; equidem vis eſt, triſti ore profabar:*
*Sed quid? non aderat ferret vt vllus opem.*
*Solum raua meas ſic vox tandem accidit aureis:*
*Talia vincla etiam Mars tulit atq; Venus:*
*Ob quorum exemplum leuior niſi ſit tibi pœna hæc:*
*Ob quorum leuior ſit, tibi nullus erit.*

*Hæc tria fœta roſis tibi pono, Cupido, caniſtra.*
*Pro quibus ô iuſtis, ſancte, faue precibus.*
*Non ego morte mala pereat peto. cuncta dabuntur*
*Si ſtet Hyperboreis cincta caput niuibus.*
*Quod ſi tunc illam dabitur, quod ſpero, mouere:*
*Tunc face mox redeat prima comæ facies.*
*Non inſueta peto. hæ, quæ iam ſunt ſanguineæ, olim*
*Candidum ebur poterant æquiparare, roſæ.*

*Mortuus à cunctis ſi verè is creditur, ægro*
*In cuius ſupereſt corpore nulla anima:*
*Mortuus, en, ego ſum. nam ſpreto hoc corpore, fugit*
*A me Anima: itq; comes aſſidua Harmoſynæ.*
*Sed quî, ſi vixi, non ſingula membra fatiſcunt?*
*Conduntúrq; putri putida prorſus humo?*
*Sed quî, ſi vixi veteris violentia flammæ*
*Exanimes mihi adhuc ſæuit in articulos?*





*Ah, ab iſta hominum exuperant miracula captum.*
*Sic quoq; ſic oculis ſaxea flet Niobe.*

*Si, Amor, libido eſt, perpetim inſidere*
*Herili ocello, & inde virulenta*
*Torquere ſpicula omnium in medullas:*
*A me manum abſtine, improbiſſime: eſſe*
*Negotij haud quicquam volo mî amanti*
*Cum ſordido plebeculæ inficetæ*
*Tortore. diſquiro peculiarem:*
*Eúmq; qui nunc felle tinguat arma,*
*Nunc melle: amaro admiſceátq; dulce.*
*Si vis tamen iurare per parentis*
*Papillulas, ſinúmq; Gratiarum:*
*Te iam deinceps hoſpite ex ocello*
*Nunquam alteri mortalium, puſillum*
*Quantumlibet vulnus daturum: ego, ecce,*
*Totum tuis me legibus dabo; æſtus*
*Nec deprecabor extimos. age ergo*
*Talem incute intimis fibris calorem,*
*Inſaniam mox qui inferat, ſalute*
*Gratam mage omni: eam mihiq; mortem*
*Donet, frui præ qua indidem recuſem*
*Vitâ, Iouis qualem ambiant clientes.*
*Mirabilem, Vah! ſortem Amantiū! vllum*
*In pœna habere diſplicet ſodalem:*
*Vt vniuerſi & ſinguli cachinnent*
*Meum ad malum: ſim morióq; ſolus.*
*Ergo nunquam erit vt mei*
*Auctores videam mali?*
*Illos, lux, puto, ocellulos*
*Qui cor non medicabili*
*Læſerunt mihi plaga?*

*At non hoc cupio tamen*
*Vt ſis quod Tethyos fuit*
*Filius Telepho: at ſemel*
*Vt rite aſpicias, potens*
*Quàm ſtet frons tua virûs.*
*Certè, Dux minimè abnuit*
*Perluſtrare oculis neces*
*Quas fecere ſuæ manus.*
*Sed cadauera, equo inſidens*
*Nunc hæc, nunc videt iſta.*
*Quid dixi, Harmoſyne? iubar*
*Ah, ah, flecte. ferox fores*
*Nam quamuis mage tygribus*
*Sicco cernere lumine*
*Non poſſes miſerum me.*
*Sed ſtatim radium aureum*
*Promens frontis ab arcubus,*
*Totum me mihi redderes.*
*Verum ſic, iterum vt cruce*
*Maiori exagitarer.*
*Præſtet nunc igitur mori,*
*Inſtat dum capiti Atropos.*
*Heus, Cor, heus morere. occides*
*Ne poſthac iterum occidas,*
*Vita at vera reſurgat.*

*Quid mirũ, me haud in cineres redigi, Harmoſyne vſq;*
*Crebra licet iaciat tela ſupercilijs:*
*Tot mea enim nubeis ſuſpiria, tot lacrimæ amnes*
*Nempe genunt, nubeis vix iubar vt penetret:*
*Nedum vt conſumat latices. verùm hoc ſtupeo vnum:*
*Vnde habeam tot ſuſpiria, tot lacrimas.*

Sic



*Sic ego: ſic at Amor: Tantum & quis credat aquarum*
*In viridi ligno, flamma niſi ipſa probet?*
*Fruſtra es, Amor. torris ſimul ac conſumptus ab igne*
*Nulla quidem è toto gutta fluet cinere.*
*Humor at omnis vt exuctus mihi pectore, torrens*
*Ocyus ex oculis maior vtrinq; fluit.*
*Si meus eſſe cupis, linguam cohibe, improbe. verè*
*Non amat ille, vſum qui rationis habet.*

*Ipſe tuos quoties recolo, Leander, amores,*
*Vtq; carens dederit igne lucerna necem:*
*Fit cito cordolium mihi, pallentiq; colores*
*Mille, graue ex oculis depluit agmen aquæ.*
*Multáq; Tardipedi facio conuitia Diuo,*
*Multáq; ventorum de ruditate queror.*
*Affectu lætor tacito tamen, haud ſimile vnquam*
*Diſcrimen Boreas quod mihi fax ve dabunt.*
*Non, ego quod metuam Nerei dare membra procellis,*
*Crinibus abſtergat quæ mea Vita ſuis.*
*Sed, quia iter mihi lux per aquas monſtraret, ab ullo*
*Non minuenda Noto, non minuenda freto.*
*Harmoſynes, dico, duo Sidera. quæ licet ipſe*
*Currerem ab Eois vſq; ad Hyperboreos:*
*Non allucerent aliter quàm quæ vomit atro,*
*Veſpere centeno lumen ab ore, Pharus.*
*Nunc quid? per flãmas (quàm veſtræ hà ſors mea ſorti*
*Diſſimilis) dominam cogor adire meam.*
*Flammas, quæ propius deueni vt ad ipſam, adeo igne*
*Omnem animam immodicè mĩ articulosq; coquũt,*
*Vt precer à ſuperis ambuſto hyemantia grandi*
*Æquora vti mihi mox pro tumulo eſſe velint.*

M iij

*Lumina quum Dominæ mihi fas ſaturare figura,*
*Quam circum ludunt vndiq; Aglaia & Amor:*
*Talis inhumanè populatur flamma medullas*
*Qualis in Ætna, tuis ſtare ſolet ſpecubus.*
*Sicq́; mihi valido diuexat corda calore,*
*Eſſent vt malè iam iamq́; futura cinis:*
*Veſtibulo niſi Heræ, dicto ocyus, aureæ, abiret*
*Inuitis animi prouida mens pedibus.*
*Sed quid? vix abij, citò quum reſtinguitur ignis,*
*Mox & in algido ouat pectore turbida Hyems:*
*Sicq́; ſuis vexat artus algoribus, vt nox*
*Dormitanda modò perpetuùm vna foret,*
*Veſtibulum niſi Heræ, dicto ocyus, aureæ adiret*
*Alatis animi pallida mens pedibus.*
*Momen vt aſt horæ rurſum hæſit ibi, ilicet aufert*
*Inde ſe, & aßiduè ſic abit atq; redit.*
*Ah, ah, haud tua ſi hæc, Ixion, termina vincunt.*
*Ah, ah, ſi haud pœnas, Siſyphe priſce, tuas:*
*Æace, quid cauſæ, cur non, quæ Acherunte feruntur*
*Eſſe cruces, cunctas vnus ego ipſe feram?*

*Formoſæ Violæ, Violæ haud leue munus Amicæ.*
*Natalem vobis quem rear eſſe locum?*
*Fòrs an Acidaliis carpſit furtim Harmoſyne hortis,*
*Pro Venere hanc Charites dum comitantur ibi.*
*Vidit & ipſa ſui ſpeculum Cytherea: Deæ & tres*
*Noſcere neſcibant priſtina vtra iis hera erat?*
*Chloridos an Zephyrus ſeptis ſubduxit, vt ante*
*Sæpe, & vos voluit lenæ ei adeſſe vicem?*
*Non vos ſanè aluit mortalis dextera: Numen*
*Sed fuit. aut, maius Numine ſi vſpiam adeſt.*
*Gratulor & certè vobis, Dominæ euaſiſtis*
*Quod manũ, in hilũ etenim, imo adeo in nihilum*





*Acre redegiſſet gelu & inſuperabile virus*
*Omne quo ei corpus turſit, & obriguit.*
*Sed quî me quoq; ſic fugitis, Violæ? hà, grauis æſtus*
*Si nimium eſt, cordis quem penetrale vomit:*
*Securæ eſte: mea en geminis pro lumina riuis,*
*Quæ facient, dare ne ſint pote damna faces.*

*Erigones iam animat lampas Phœbeïa lances,*
*Multicoloréq; ouat Dædala germine humus.*
*Quid tum? ſi excubias, oculos agit ante meos, Nox*
*Vndiq; ſpinoſo cincta ſatellitio.*
*Hà lacrima, hà gemitus! niſi tu, Harmoſyne, mihi ſudum*
*A claro exhibeas frontis honore diem:*
*Obruor æternùm tenebris, fruſtráq; laborent*
*Ponere lamentis cuncta venena modum.*
*Non ſi Helenæ riger os cyatho, quibus ilicet omni*
*Telemachi indictum eſt triſtitiæ exilium.*
*Non ſi me ſatagat deponere nectare coniux*
*Herculis, ipſa ſuis baſiolis ve Venus,*
*Baſiolis, quibus ictum ab apro irrorauit Adonim,*
*Tranſmiſſo flore in illius oſſa animæ.*
*Cycnigenæ, ah, valeant criſtalla, latexq́; iuuentæ:*
*Voſq́; Cupidineæ labra valete Deæ:*
*Sum alter enim Telephus, medicináq; mî vnica ab illa*
*Proueniet, à qua vulnera prima tuli.*
*Quæ ſi tantillum radioſa ſupercilia ad me*
*Verterit, argutis multa locuta notis:*
*Tum ſpõte immenſum numero alta in gaudia ſe effert,*
*Exultans toto pectore, mentis amor.*
*Vlteriúſq; rotam lunæ atq; Hyperionis orbem*
*Remigio ſolui ter metuente ruit.*
*Vera quidem hæc. ſed quid? tam grati luminis aura,*
*Vix mihi, vix ſexto menſe videnda venit:*

Tunc etiam furtim tantum, atque horæ vnius vno
Momento, aut breuius ſi quid eo eſſe poteſt.
Ergo infelicem nimium ô me: at tu Scytha felix
Partem orbis gelidi qui inferiorem habitas.
Vna licet nam per ſemeſtre tuo capiti inſtet
Nox, ſemeſtri alio lux quoq; perpes adeſt.

Nunc vtinam gererem cum cruda Morte duellum,
Cum turpi Macie conſererem q; manus.
Fallor? eas mira an fruſtrarer callidus arte, ac
Hactenus inuictas, cedere cogerem ego?
Nam mihi vbi fierent nimium nimiumq; potentes:
Protinus Harmoſynes arriperem ad ſinum iter.
Quò, quum me grandi paſſu ſubitò inſequerentur
Dicerem in hanc atq; hanc pluria dicta mala.
Illæ at vbi circum Dominam tot Numina blanda
Aſpicerent multis ludere delitiis:
Non tremerent aliter, greſſum retróq; vocarent,
Quàm qui anguẽ incautus preſſit humi Agricola.
Vtraq; quæq; modò ſe victricem ante putabat,
Demiſſis fugeret, tecta caput, manibus.
Nempe tot auderent Diuas contrà ire, Iuuenta
Nectare quas ſueuit paſcere & ambroſia?
Non puto ſed volitent potius clam Acherũtis ad ima,
Hoc ſibi ibi, & faciant quod voluere mihi.

Incaſſum properas, ter turpis Aranea. nullus
Harmoſynæ ſupereſt nam tibi in æde locus.
Heîc habitant Diuæ tantùm, melliſq; parentes,
A[illegible]tuumq; canor virgineuſq; pudor.
Sed, ſodes, accede. ibi nam modò toxica ventri
Non tuo erunt, perdes ſed tibi quæ antea erant.

Adq;



Adq; tuam cogeris haram purgata redire.
At quid? num auditis hus ſubito ipſa fugis?
Hà fugis, en, certè: ſed non tam, purificari
Quod nolis, quàm quod viſa Minerua tibi.

Eſſe quid hoc dicam, quod ego vnicus ipſe, nociuus
Cui Dominæ eſt omni tempore frontis onyx.
Cordolium ex illo certè mihi fit, & amaror,
Omnibus aſt aliis gaudia, opeſq; genit.
Hà Natura parens, eius ſi pupula duplex
Tanta erat immeritò totq; latura mala,
Cur non temporius proueni in luminis oras!
Aut cur non tuita eſt ſeriùs illa diem?
Si tamen hoc æuum fortunatum eſſe ſine iſta
Non quit, & à damnis lucrum habet omne meis:
Mente fero placida quantum fero cunq; dolorum:
Qui ob rempublicam obit, ille enim honorus obit.

Ecce, quid hoc? clãſe inſinuans Zephyrus peplo Heræ, audet
Radere non-iuſſo lumina remigio.
Nec tamen exturbat audaculum. at ecce etiam vltra
Progreditur, parat ac baſia ferre genis.
Et patitur? miſerum ô me! frontis turbet honoreis
Aduena? diſcutiat ſerica vela comis
Externus? inuiſus? meritus nihil? erro? maritus?
Me quem rara fides, quemq; eadem patria
Nobilitant, vix vix viſu facere aucupia auſum?
Sed quid? an impauida, heus, mens bonũ ei hocce dedit?
Si ſic: fiam & ego intrepidus, reuerentia nec me
Vlla vetet, modò quin ſuauia ei rapiam.
At deſiſte anime. ah, deſiſte anime. arduus ignis
Aſpice, iam ille tuus æmulus eſt Zephyrus.

*Nunc ſuis Maius virideis Kalendis*
*Induit flores. nitidas iuuentus*
*Nunc amicarum potiore cultu*
*Viſitat ædes.*
*Ipſe ego ſolus ſine fronde, ſolus*
*Pallio tectus malè araneoſo*
*Hoc die nuſquam Domina videbor*
*Vllus in aula.*
*Seirio nam quis populante campos*
*Audeat conſtantius intueri*
*Solis orbem quin idem abire quærat*
*Lumine captus?*
*Nedum vt auſit quiſquam acie integra almæ*
*Circuire almam Harmoſynes figuram,*
*Quæ premit Phœbum mage, quàm is minutos*
*Ætheris igneis.*
*Luce præſertim hac, vbi & vniones,*
*Crinium & ſpiræ, valeant acumen*
*Argi erat, quale aut Aquilæ eſt, perenni*
*Claudere nocte.*
*Sed quid inſtant, dum loquor, atra cœlo*
*Vellera, ac imbreis nebulæ ominantur?*
*An meæ forſit fieri comes vult*
*Triſtitiæ Aër?*
*Non puto. fert fert gradum hera è cubili*
*Tamq; rarum formæ oculo aucupari*
*Sol reformidans decus, ora atroci*
*Nube recondit.*
*Nempe ne tactus radio procaci,*
*Et rota & mente auius excidens, mox*
*Filij maiore iteret furentem*
*Clade ruinam.*





*Iam ſpatioſa agili volitabam per freta puppe,*
*Nocte nitente, ſilentibus vndis:*
*Quum ſubitò denſæ cœlum obnupſere tenebræ,*
*Incubuitq; Aquilo mari & Auſter.*
*Sicq; pari niſu pugnarunt fortibus iris,*
*Eſſet vt haud fugere húcve vel illuc.*
*Quid facerem? rauâ implorantur voce Lacones,*
*Donaq; Tethyi multa vouentur.*
*Incaſſum. tetri nam ſolo fulguris igne*
*Hinc caput, inde oculi feriuntur.*
*Dum tamen occaſum aſpicio modò, dũ modò & ortum,*
*Mortis & afflor proximæ ab aura.*
*Forte oculi Harmoſynæ procul emicuere, Phari quos*
*Credens lumen amabilioris:*
*Continuò direxi ad eos curſum trabis, omnem*
*Artem adhibens, adhibensq; laborem.*
*Et quidem erant lumen: ſed quale pater Palamedis*
*Extulit ex picea arce Caphareï.*
*Fixa etenim ſcopulis mihi mox ratis hæſit acutis,*
*Admiſitq; ſali vndiq; fluctus.*
*Ipſe at ego, mali caſu male ſaucius, ægrè*
*Littoreis nando appuli arenis.*
*Appuleram: Harmoſyne grauidis quũ torua catenis*
*Ocyus omne onerat mihi corpus.*
*Carcere & obſcuro tercentum mancipat annos,*
*Spreta Nauſicaæ pietate.*
*O durum genus, ô media prognata Charybdi!*
*Eumenidum lactataq; mammis!*
*Si ſic affulgendo, putas meritam bene, tum illum*
*Ipſe negem malè poſſe mereri,*
*Qui innumerabilibus cruciatibus angit in æuum,*
*Afficiendos ſimplice letho.*

Fulmine ſi quondam patriis Phaetonta quadrigis
Summe expuliſti Iupiter,
Quadrupides moderatus equos quoniã impare dextra,
Plus omnia æquo adureret.
Quid nunc, quid ceſſat crebris valido impete flãmis,
Polus hic & ille feruere?
Harmoſynemq́ citò ambuſtam detrudere ad Orci
Perenni furuos carceres?
Et quanto Oceanus, tellusq́ laboret ab æſtu,
En in fauillam vt Cœli eant!
En hominum vt nemo nemóq́ Deûm ſit, auara
Quin igne cor coqui ingemat.
Surge, age, ſurge pater. ſi non: iam de imperio actũ eſt
Tuo, ſalute & omnium.
Tam vehemens etenim ex oculis Dominæ exilit æſtus,
Vireisq́ eundo ſibi parat:
Ipſe vt opem iam imploret Amor, iurétq́ nequire
Finem facere ſe incendio:
Fulgura tantillo quum non ceſſent momento,
Vt habere ad eam acceßum queat,
Et rapere ex oculis Faculas, nimium inconſultè
Quas pignori illi liquerat:
Viſere dum geſtit matrem, ſpondetq́ redire
Poſt vnum & alterum diem.

Quum nondum Harmoſynes datum erat mihi cernere Ocellos
Et maieſtatis tot decora alta nouæ:
Talis eram, qualis Nauta in medio Oceano, vrgent
Vndiq́ quem fluctus, vndique quem nebulæ.
Ille tremit, Diuisq́ vouens maris, exta molámq́
Sollicitis cœli lumina luminibus
Quærit, auétq́ alibi ſidus reperire, quod Index
Sit viæ, & à cæcis monſtret abire vadis.
Fruſtra.



Fruſtra. nam in gyrum ſtellæ ducendo choreas:
Sunt vno indociles perpetuò eſſe loco.
Sola tenax ſedis (velut alter Terminus) Vrſa eſt.
Ad quam vbi iam flectit tandem aliquando aciem:
Præ nimia flet lætitia. mauultq́ micantem hanc
Quàm geminas geminorum OEbalidum faculas.
Hac Duce enim à Sole occaſu ſecurus in ortum
Iuerit, imò eius finibus vlterius.
Sic quoq́ vbi exhibuit Dominæ radioſa Cupido
Aſtra, meæ erranti quæ Cynoſura animæ.
Non ego nunc Nympham intentè hãc, nunc intuor illam,
Et doleo in toto orbe haud ſupereſſe aliquam,
Quæ cor ità ardenti deſiderio ſui adurat,
Ipſius vt curram, ſponte ſub imperium:
Cuius & incidi ſic fibris effigiem optem,
Vendicet unquam vt ibi ſpesq́ timorq́ nihil.
Sola etenim, Harmoſyne dat ſim ſolidè vſq́ beatus,
Atq́ aliæ ne ſtent vllo in honore mihi.
Et merito. talis nam dum mihi copia flammæ,
Affectare iter auſim hinc Iouis ad ſolium:
Imò emetiri (ſi alibi eſt modò adhuc) Chaos, altis
Multáq́ ſcrutari incognita Cœligenis.
Nulla poli interualla etenim, nullæq́ tenebræ
Propoſitum poßint mi eripuiſſe iubar.
Quum magni nihil intra aut extra mœnia mundi
Sit frontis quod non claret iaſpidibus.
Nuper & hoc Maia genitus quoq́ ſenſit: Olympum
Et Styga dum iurat luce vigere noua.

Dum ſtellata procul Heræ abit frons, quæ mihi vita
Eſſe poteſt, verè quàm miſera atq́ dolens?
Eſt miſera atq́ dolens certè mihi vita: modo illi eſt
Vita ſuper, qui omni corde animáq́ caret.

*Sed ſupereſt:aliàs nam qui ſentire tot ignes,*
*Totq́ cruces animo,fulgura totq́ queam?*
*Mentior.haud ſupereſt.nam ſi ſuper vlla fuiſſet:*
*Igne expulſa olim frigoribúſve foret.*
*Vita tamen mihi ſi eſt:mihi vitula ſi tamen vlla eſt:*
*Non ea vita in me,vita ſed in Domina eſt.*

*Vt Clytie,viduas mari vbi Sol tinguit habenas*
*Languenti ſe operit,triſte tuens,capite.*
*Illo iterum aſt curru aurigante per æthera,raptim*
*Promit inaurato de calyce alta comam:*
*Haud aliter mihi nobilior genij occidit aura,*
*Tantillũ quoties diuidor igne meo.*
*Sad ſimul ac radij incipiunt mî alludere clari:*
*Tunc ego, tunc me homine dememini eſſe ſatum.*
*Raptus & indomito Iouis ad penetrale volatu,*
*Ambroſia veſcor,nectareóq́ mero.*
*Solúq́ votorum ſummarum ſumma meorum eſt,*
*Pars mei,vt haud oculis corporis,vlla vacet.*
*Aut tales oculi fiant mihi,vt acrius ipſam,*
*Si tuear,tamen haud in cinerem illico eant.*

*Mane patefactis vt ſe mea vita feneſtris*
*Veſtit,& ingentem multa ſtat ad ſpeculum.*
*Sol quoq́ plus ſolito gemmis axem polit,Horas*
*Vultq́ mage horribileis ferre ſibi radios.*
*Vt,iubare offuſcans ſuo,heræ iubar,imperium ipſi*
*Vſq́ ſit in cœlos Luciferiq́ gregem.*
*Fruſtrà.nã Harmoſynes ſimul atq́ oculos ſpecit,extrà*
*Sepoſitus,ſueta non regit arte rotas.*
*Redditus ac bene vix ſibi,Equos auerſus in ortum*
*Flectit,& Auroræ rurſum init ſpeculam.*
*Vtq́ redire coactus,vultu incedit operto,*
*Quærit & inuiſas Harmoſynæ ire vias.*



*Interea mihi ſede manet nulla color aut mens,*
*Omnibus & ſudor manat ab articulis.*
*Dum modo formido,nedum ſpeculi occupat æquor,*
*Narciſſi inſtauret morte liquente obitum:*
*Et modò,ne Titan ſtimulet furias Stygis,illam*
*Inficere eximiam tabe aliqua faciem.*
*Ne,mea lux,igitur poſthac da te aſpicere illi,*
*Quàm ferè vbi medium iam peragrarit iter.*
*Tunc ſuum enim occiduo potius caput æquore condet,*
*Quàm velit emeritos trux reuocare gradus.*
*Sed tu,læuum ad quid de forma conſulis orbem?*
*Quæ mouet inuidiam Phœbo,ea pulcra ſatis.*
*Quum Dominæ ergo mihi non ſpes ſuper vlla videndi:*
*Protinus,en,ſaltus,& ſola ſola peto.*
*Illic fert animus Templũ erigere Harmoſynæ altum,*
*Quale fuit nullum à Deucaleonis aqua.*
*Nam ſeu luſtrabit Phœbus,ſeu Cynthia,Olympum:*
*Vſq́ ibi de ipſius lumine vtroque canam.*
*Lumine vtroq́,in quo Golgóq́ Cypróq́ relictis*
*Regnat,& aſſiduo degere gaudet Amor.*
*Néq́ vnquam,poſſit procul inde recedere,aduſſit*
*Fulmineo alarum remigium igne ſibi.*
*Quum verò Sortis mihi ſæuior ingruet aura,*
*Harmoſynes nomen Numinis inſtar erit.*
*Conſtituámq́ meo de pectore non humilem Aram:*
*Aram,purgabit quam lacrima ampla mea.*
*Pulmonis ſuſpiria erunt,quod thuris odores:*
*Mentis amarities,quod ſale mixta mola.*
*Victima cor fiet:nam ad quid alid vtile cor ſit?*
*Flamma quod innocuum non moritura voret.*
*Ergo,victima cor fiet,nec erit rogo edace*
*Illud de ſubitò quò cinefiat, opus.*

*Tantum etenim ardoris concepit, ſe vt proprio igne*
*In totum, & facilè rite cremare queat.*
*Quod poſtquam puluis iam factum, è puluere ſurget*
*Mox cor idem, & dabitur victima rurſus heræ.*
*Sic quoque ſic Phœnix combuſtus fulgure Solis,*
*Informi prodit de cinere altera auis.*
*Annorum ille tamen poſt mille volumina demum*
*Tenuia dat caldo membra adolenda foco.*
*Aſt ego corde meo decreui quoq; die, atq;*
*Quâq; etiam Dominæ nocte litare Oculis.*

*FINIS.*